



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

Reflexio I. Supra Seriem Arciepiscoporum Et Episcoporum Maxime  
Germanorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)



REFLEXIO I  
SUPRA SERIEM.  
ARCIIEPISCOPORUM  
ET  
EPISCOPORUM  
MAXIME  
GERMANORUM.

**S**apientia ædificavit sibi *Domum*; excidit *Columnas septem*  
*Proverb. 9.* Servator nempe noster sapientissimus, Au-  
ctor Fidei, & Conditor Ecclesiæ divinus, sibi Do-  
mum per universum terrarum orbem maximam ædi-  
ficavit, cujus ipsemet angularis *Lapis*, Petrus Apo-  
stolus *Petra*, Apostoli reliqui sunt facti *columnæ Principes*, aut etiam  
*Fundamentum post Petram alterum*. Sacerrimæ hujus Domus successu tem-  
poris columnæ etiam excisæ, & constitutæ sunt multæ; Ar-  
chiepiscopatus nimirum, & his minores Episcopatus per quatuor  
orbis tractus amplissimos, præsertim verò per Europam nostram  
celeberrimi, Moguntinus, Trevirensis, & Coloniesis &c, quorum,  
sicuti aliorum multorum antiquissima est origo, & quidem nul-  
la alia, nisi Romana. Ita profectò res habet, Petrus Romana  
Petra est basis firmissima ipso fulciente Christo, quibus non mi-  
nùs quàm Italica, Gallica, Hispana &c, nostra Germanica inniti-  
tur

tur Ecclesia multis firmata columnis. Verùm dum Romanæ Ecclesiæ innitentium firmissimè Ecclesiarum multarum mentem meam in sese vehementer rapit jucunda contemplatio, audio inimicas voces & tumultus hoc nostro potissimùm tempore obstrepentes & vociferantes: ridete triumphum Papistarum ante victoriam! glorientur hi simplices sua petrâ Romanâ; gratulantur vanissimè suas sibi per Germaniam & alia multa regna Columnas, ut ajunt, sacras; cùm tamen probatâ sit necdum *petri potestas Vicaria, eâque post Christum suprema*; necdum etiã liqueat de *primatu Romana Sedis*: non suppetant argumenta ex Sacro Codice, imò hic ipse palàm refragetur cum non dubia Historia. Ita ferè non ita pridem scripsit Tigurinorum Declamatorum non nemo, non anus tamen sua committere typis, quod optabam. Idem addidit, unâ se & Collegas suos hoc unum spectare, & exspectare, ut primò S. Codicis argumentis, & dein testimoniis minoribus solidetur Primatus Petri, Sedis Romanæ autoritas: hoc uno impetrato, sese cum sociis & ovibus subditis quamprimum propiùs accessurum Aris Romanis. Non absimilia scripsit Hübnerus & Scriptores Lutherani passim. Hunc ipsam veriùs ludendi, quàm loquendi modum audimus crebrò hodie à militibus in Romani Imperii propugnaculis. Argumenta verò cùm à nostris Theologis præsertim Polemicis methodo Polemica sint adeò magno numero & modo firmissimè proposita, ut non nisi ignarus, aut pertinax possit obgannire; nihilominus haud abs re erit addere mentem & methodum Historicam, præsertim cùm hoc nostro seculo multifariam id ipsum Lutherani Historici agant, uti ex Serie Romanorum Pontificum, & Imperatorum liquet, atque nunc ex Serie Archipræsulum Germanorum ampliùs liquebit. Argumenta itaque nonnullis in paginis non tam nova afferam, quàm antiqua repetam, quoniam meritò censetur solidissima. Argumenta verò secundum suos gradus veluti in scala ponantur, ut Orthodoxis & Hæterodoxis nunc lubeat ascendere, nunc des-

cen-

cendere à gradu summo ad infimum, aut ab infimo ad summum.

Summus omnium argumentorum ordine gradus est S. Codicis authoritas, & sensus in Christi Ecclesia non cujusvis privati Doctoris, longè minùs indoctorum sententia, sed sensus communi totius Ecclesiæ consensu uno supremo Duce ac Judice probatus, stabiliter servatus, & servandus. Audite verò jam verba sæpiùs audita, multis nunquam bene intellecta, aut perspecta: audite simul sensum Ecclesiæ antiquissimæ & novissimæ communissimum.

ARGUMENTA EX S. CODICE.

**E**T ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. Matth. 16.

Cùm ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? dicit ei: etiam domine tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei iterum Simon Ioannis, diligis me? ait illi: etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit tertio, amas me? & dixit ei: Domine tu omnia nôsti: tu scis, quia amo te. Dixit ei, Pasce oves meas. Ioan 21.

Jam verò hujus utriusque, ut taceam alia, divini oraculi sensus de Primatu D. Petri & Successorum Romæ ex suomet tenore, ac vocum singularum planissima acceptione in aures & animos proborum hominum instar aquæ limpidissimæ videtur influere: diversus verò ab hoc sensus & aures torquet, & offendit sanum cerebrum. Haud alium nostrum sensum sibi dixit propriissimum & vetustissima, & verissima Ecclesia: adsunt enim copiosissima Conciliorum & Patrum per primas pro Ecclesia Veteri annorum centurias: adest Historia non tantùm ab Orthodoxis, sed ex parte etiam ab Heterodoxis ea methodo scripta, ut hi fateantur continuam Romanorum Episcoporum Seriem, Seriem item Archiepiscoporum & Episcoporum non nisi Romano Pontifici à primis seculis subditorum, atque ab eodem legitimam

amam potestatem imperantium. Quæ omnia ne videar dicere confidentiùs, quàm veriùs, multa, quæ alii multis persecuti sunt foliis, in brevem fasciculum collecta, hoc in libello juxta præfixum ordinem ac metam considerabimus. Verùm ne in Reflexionum exordio nimia sit prolixitas, venturis Reflexionibus patientiam Lectoris integram servare, & labor & opus est. Solùm itaque nunc S. Codicis textus, & pauca alia huc apponantur, quæ Catholicæ sententiæ prorsus contraria dicunt Scriptores & Lectores Heterodoxi.

TEXTVS S. CODICIS, PRIMATVI D. PETRI  
IN SPECIEM CONTRARIÏ, EXPLICANTUR.

I. Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis. item, nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus. Matth. 23. v. 8. & 10.

II. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator, &c. Luc. 22. v. 24. &c.

III. Regnum meum non est de hoc mundo. Ioan. 18.

IV. Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra, petra autem erat Christus. 1. Cor. 10.

V. Nihil minùs fui ab iis, qui supra modum sunt Apostoli. 2. Cor. 2.

VI. Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis. Matth. 18.

VII. Accipite Spiritum S. quorum remisistis peccata, remittuntur eis. Ioan. 20.

VIII. Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Galat. 2.

Hæc aliæque oracula à Catholicorum adversariis propugnaculi instar opinione sua inexpugnabilis opponuntur D. Petro & hujus Successori Romano Pontifici. pugnant proinde hac etiam, veluti multis, imò plurimis in Scripturæ Sacræ partibus Orthodoxi, & Heterodoxi? pugnârunt jam Veteris Testamenti tempore inter sese Hebræi, Pharisei, Saducei &c; pugnârunt à primo nati Servatoris usque ad hodiernum seculum multis in dogmatibus diversissimi Christiani: diversissima est hodie diversarum partium

interpretatio, mens & sententia; & tamen, quod mirandum maximè, Scriptura minimùm in rebus magni momenti est perquam clara, tota est meridies! Hæc probè sibi notanda censeant, quotquot ita sentiunt novissimi S. Codicis interpretes.

Mens verò una, indubitata, atque adeò communissima Catholicorum circa allata in speciem contraria oracula ex sequentibus liquebit responsis. Et ad

I. & II. quidem meritò reprehendit discipulos suos Magister Christus, quòd contenderent inter sese de Primatu; ambitio enim in omnibus vitiosa, in Apostolis potuit dici vitiosissima. Indignus nimirum est honore non vano, qui vanè ambit honorem: honor ambientes fugit, fugientes instar umbræ sequitur. Nequaquam dignus est Sede Pontificia, qui quovis modo contendit eam in Sedem extolli. At verò si eligant, quorum est eligere Pontificem, tunc procul dubio cessat reprehensio, & suus ritè electo honor & locus est honorificus. Audiamus hanc in rem oracula etiam Evangelica. Joan. 7. & 8. *Qui à semet ipso loquitur, gloriam propriam querit: qui autem querit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est, & injustitia in illo non est. Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est: est pater meus, qui glorificat me.*

Paucis multa: honores præsertim Ecclesiastici, dignitates, *Insule, Galeri & Tiaræ* nec venales habeantur pretio, nec prostent subjectæ precibus, licèt armatis. Non candidatorum desideriiis, sed electorum suffragiis integris conferantur. Audiamus Apostolum Heb. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron: sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: filius meus estu, ego hodie genui te.*

Exponant jam, aut torqueant in suum sensum S. Codicis verba, quæ in nos paulò antè intorsère conatu vanissimo; & tum patebit, nec Lutheranis, nec Calvinianis, nec ullis aliis vel re, vel nomine Christianis esse eligendos deinceps *Magistros, Decanos, Præfidentes, Episcopos &c*; objicere namque continuo illiteratorum etiam quispiam nullo negotio posset: *nolite vocari Rabbi: unus est enim Magister vester. Item: nec vocemini Magistri &c.* Ad

R. Ad VI. VII. & VIII. Oraculum nobis ex S. Codice oppositum: quòd nimirum Paulus & junior & minor Petro semel, aut bis forte in facto quopiam particulari in faciem etiam restiterit, idem facinus simile profectò esset huic, si hodie Romano Pontifici Purpuratorum Patrum quispiam ob verbum, aut factum minùs ad rem idoneum resisteret meritò. Factum simile accideret, si Vir probatæ fidei & consilii Princeps Imperatori aut Regi resisteret non immeritò, an hanc ob causam Vir Princeps talis par aut major haberetur Cæsare? an ideo Pontifex aut Imperator potestate sua suprema excideret? minimè gentium. Evasis quippe Petrus Dei vocatione & creatione in Supremum Pontificem; fuit tamen, & perseveravit esse homo: quoniam verò errare humanum est, potuit is ipse Supremus inter homines Pontifex errare in verbo & facto, quod ad Normam Fidei & Morum Regulam universæ Ecclesiæ traditam parùm attinebat, quale factum censebunt, quicumque Gal. c. 2. denuo legerint, quod ita sonat: *cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat: prius enim, quàm veniret quidam à Iacobo, cum gentibus edebat: cùm autem venissent, subtraherat & segregabat se, timens eos, qui ex circumcissione erant. Et simulationi ejus consenserunt cæteri Iudæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in simulationem &c.* En factum ipsius D. Pauli calamo scriptum, & Deo teste integrum! nullum hìc locum obtinuit Norma Fidei, nullum locum Regula Morum. Cæterùm procul dubio acceperunt Apostoli à Petro diversi potestatem admodum eminentem, qualem nimirum hodie obtinent Episcopi & Capita per Ecclesiam universam plurima, dum & ipsi nunc ligandos ligant, & solvendo solvunt, sententias eorundem ratas habente Deo, & supremo hujus Vicario. Talem tamen tantamque, quantam accepit Petrus, accepisse Apostolos reliquos à Christo potestatem demonstrare, est oceanum sine navigio navigare; cui operi & labori hætenus succubuerunt, quotquot Petri naviculam impugnârunt hostes oceani procellis obruti. Profectò nec verba Ævangelii clara, nec Traditio, nec

Authoritas, nec Historia docuerunt Orthodoxos suæ doctrinæ contrarium. Fingamus nihilominus, iisdem allatis Evangelii verbis probari quidpiam, & tum illud Theologorum & Philosophorum, quin omnium literatorum cōmune adagium habeat locum, *qui probat nimium, probat nihil*: sequela namque probaret, omnibus omnino legitimis Sacerdotibus æqualem à Deo datam fuisse copiam solvendi atque ligandi; singulos esse Pontifices, vel nullum; omnes esse superiores, vel subditos omnes sine Capite, sine Judice, sine Magistro, sine Præceptore &c. O Chaos! O Babylon!

Ad III. reponitur, duplicis generis esse regna, Ecclesiasticum nempe & Politicum, quod utrumque exhibuit abundè universis Testamentum Vetus, in quo etiam eminuerunt supra quosvis Summi Pontifices & simul Judices multi. Regnum igitur Servatoris nostri in terris non fuisse Politicum aut mundanum, quale solet esse Imperatorum & Regum, is ipse non obscure dixit, qui Pilato respondit: *Rex sum ego, regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri utique mei decertarent, ut non traderer iudæis &c* Ioan. 18. Quemadmodum in Evangelio hoc loquitur Verbum Divinum de Ministris non Ecclesiasticis, sed Politicis & mundanis, ita verba fecisse credendum est non de Rege, aut Monarcha Ecclesiastico, sed de diverso longè. Secus si verba aut sensum sumas, rem evincis, Hederodoxe, prorsus contrariam tibi: ais enim conformiter placitis tuis, Christum fuisse discipulorum omnium unum ac Supremum Magistrum: item eundem esse Maximum Authorem Ecclesiæ: tanquam supremū Caput concessisse potestatem Ecclesiasticam Apostolis, & horum in officii Successoribus. Qualem igitur tu Magistrum, & Authorem, & Caput Supremum, non utique mundanum aut Politicum, sed sacrum & Hierarchicum intelligis, ita non regnum, aut Regem mundanum intelligi jure censemus Catholici.

Ad



Ad IV. Dico. Qui bene distinguit, bene docet. Utinam axioma hoc didicissent plurimi, qui confundunt plurima, contenti nimium quantum, si multos ex S. Codice textus, veluti unum in cumulum congeserint, absque ordine tamen, & absque distinctione. Distinguamus igitur (nam sæpe opus est maximo opere) Vetus & Novum Testamentum. Veteris Testamenti Lapis angularis & Petra suo etiam modo jam fuit Christus venturus, de quo nimirum optima quæque prædixerunt Prophetæ, & significarunt figuræ præviæ. Hæc ipsa Petra divinissima Christus non minus est Lapis angularis Testamenti & Ecclesiæ Novæ. Verum hic ipse Lapis angularis, & Petra divina admisit lapidem & petram alteram, nimirum humanam, adversus quam, ne portæ inferi prævalerent, providit & providebit nunquam non Petra divina, Petra solidior, solidissima. Codex sacæ, uti novimus, Dei digito scriptus, nec emendationem, nec additionem, nec diminutionem, bene tamen explicationem, aut interpretationem patitur. Locum igitur hic obtineat communissima petræ geminæ data explicatio. Sed & in exemplo res pateat amplius. Ædificant Imperatores & Reges munimenta, arces & palatia; ut firmitas insit operi, terram effodiunt, fundamentum ex solido struunt lapide: fundamento huic superimponunt ligna & lapides usque ad verticem. Tota verò structura nunquam stabit aut perseverabit, nisi innitatur fundamento alteri, nimirum terræ & centro suo prorsus immobili. En fundamentum duplex, en petram geminam sub ædificiis etiam humanis! fac inde concipias fundamentum duplex, aut petram geminam in ædificio divino, quale dicamus oportet Ecclesiam.

Ad V. sit præsens responsum: D. Paulum plus scripsisse, plus item in vinea Domini laborasse, quàm laborarunt Apostoli alii, Theologorum nemo ignorat: dixit igitur verè Paulus, *nihil minus sui ab iis, qui supra modum sunt Apostoli.* Responsum hoc si minus placeat adversario, eidem Antagonistam sisto ipsummet Paulum

lum 1. Corinth. cap. 15. ita dicentem : *ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Idem eodem capite testatur, Redemptorem nostrum redivivum apparuisse Petro, & dein undecim Apostolis, ac demum multis aliis. Verba D. Doctoris sunt : *Et quia visus est Cephæ (hoc est Petro) & post hoc undecim : deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul.* En Pauli doctrinam sese minimè comparantis Apostolis reliquis, longè minùs Apostolorum Principi Petro, cui apparuisse scribit Christum primo loco tanquam Capiti, dein Apostolis undecim tanquam membris præcipuis, & tandem quingentis fratribus tanquam membris reliquis universæ Ecclesiæ.

## REFLEXIO II.

**V**iri à prudentiâ, doctrinâ & virtutibus multis æstimatissimi, quales fuerunt multi Summorum Pontificum, complures in Conciliis Patres, & Ecclesiæ Doctores, quos sæpe Sacros Interpretes etiam appellare consuevimus, manifestum nobis fecerunt, & hodie relictis suis testimoniis faciunt, qualis mens fuerit Ecclesiæ de Primatu Petri antiquissimæ, quam à veritatis tramite nondum aberrâsse confitentur ipsimet Lutheri, & Calvini assæclæ saltem plerique, aut plurimi inter semetipsos dissidentes. Audiamus igitur in præsentī Reflexione quorundam Sanctissimorum Pontificum, in Reflexione sequenti Conciliorum, & dein Doctorum, & aliorum Authorum de Primatu Romanæ Ecclesiæ sententias.

### ARGUMENTA EX EPISTOLIS SS. PONTIFICUM, PRIMIS TRIBUS SECLIS PROPINQUORUM.

I. D. Julius I. Seculi IV. Pont. in epistola, quæ habetur in Apologia 2. S. Athanasii, ita loquitur : *an ignari estis, hanc esse consuetudinem*

dinem, ut primùm nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit? quapropter si istic ejusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Inferiùs sic prosequitur; quæ accepimus à D. Petro Apostolo, ea vobis significo, non scripturus alioqui, quæ nota apud vos esse arbitror, nisi facta ipsa nos conturbassent.

II. D. Damasus ejusdem Seculi IV. Pont. in epist. 4. ad Episcopos Numidiæ data hæc habet: *cuncta quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos tanquam ad Caput, ut semper fuit consuetudo, deferre non desinatis.*

III. D. Syricius ultimus IV. Seculi Pont. in epistola ad Himericum Episcopum Tarraconensem, quàm etiam Calvinus Syricii epistolam dixit, talia scripsit: *portamus onera omnium, qui gravantur. Quinimò hæc portat in nobis D. Apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit & tuetur hæredes.* Similia prosequitur inferiùs.

IV. D. Innocentius V. Seculi Pontifex secundus in epistola 22. ad Episcopos Macedoniae hæc dixit: *adverti, Sedi Apostolicæ, ad quàm relatio, quasi ad caput Ecclesiarum missa currebat, fieri injuriam.* Idem in epist. ad Concil. Carthag. data: *Romana Sedes est fons & caput omnium Ecclesiarum.* Idem denique in epist. ad Concilium Milevitanum, quæ habetur inter epistolas D. Augustin. 93. scripsit sequentia: *diligenter & congruè Apostolico consulitur honori: honori, inquam; illius, quem præter illa, quæ extrinsecus sunt, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nôstis esse servatam*

V. D. Leo M. Seculi V. Pont. VII. in epistola 84. scripsit. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum: *sicut Præcessores mei Præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi, ut curam, quam universis Ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus, adjuvares, & longinquis ab Apostolica Sede provinciis, præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes.* Similia plura continet eadem epistola. e. g. *Igitur secundum SS. Patrum Canones Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentiâ consecratos, Metropolitanos singularum provinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ sibi antiquitatis dignitatis intemeratum habere decernimus, ita ut à regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant.* Idem Ponti-

fex Sermon. i. de natali Apostolorum his verbis Romam alloquitur : *per sacram Beati Petri Sedem Caput Orbis effecta latius præsides religione divina, quam dominatione terrena : quamvis enim multis aucta victoriis, jus Imperii tui terrâ marique protuleris, minùs tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subjecit.*

VI. D. Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniæ sic ait : *cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes Beati Petri Apostoli jus habet resolvendi, utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat indicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare iudicio.*

VII. D. Anastasius II. Seculi V. ultimus Pont. in epistola ad Imp. Anastasium Authorem Schismatis hæc exaravit : *per ministerium humilitatis meæ, sicut semper est Sedes B. Petri in universali Ecclesia, assignatum sibi à Domino teneat Principatum.*

VIII. D. Joannes II. Seculi VI. sextus Pont. in epistola ad Justinianum seniore[m] Imperatorem data, & Codici Justiniano inserta ita docet; *inter claras sapientiæ ac mansuetudinis vestræ laudes, Christianissime principum, puriore luce tanquam aliquod sydus irradiat, quòd amore fidei, quòd charitatis studio edocti, Ecclesiasticis disciplinis Romanæ Sedis reverentiam conservatis, & ei cuncta subjicitis, & ad ejus deducitis unitatem, ad cujus auctorem, hoc est, Apostolorum primum, Domino loquente, præceptum est: pascite oves meas, quam esse omnium verè Ecclesiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum statuta declarant &c.*

Omittendos hìc brevitatis ergo censui multos alios Romanos Pontifices, nec ab Hübnero, nec ab hujus fociis vituperatos, quod laudis instar haberi potest. Omisi etiam in gratiam Scriptorum Heterodoxorum epistolas Seculi I. II. & III. Pontificias, eò quòd, an Pontificum primorum fuerint, longè magis ambigant iidem Scriptores, quàm de epistolis Pontificum Seculi IV. V. & VI. Quorum sententiæ de Romanæ Ecclesiæ Primatu cum neutiquam sint obscuræ, nec Heterodoxorum ulla adsint argumenta; utra proinde via sit securior, sententiam ferat æquus arbiter.

## REFLEXIO III.

**C**oncilia maximi à Catholicis æstimata , æstimantur magni etiam ab A Catholicis , tamdiu nempe , quamdiu videntur refragari Catholicis , & patrocinari non Catholicis. Paradoxon sanè ! post tria namque à Nativitate Christi Secula prima Ecclesiam tenebrís obrui , sub modium abripi & clamant , & tamen Concilia non nisi post tria Christi nati Secula primùm celebrata , totius Ecclesiæ compendia magni æstimanda existimant. Quis amabo sanæ mentis homo capiat hoc mysterium ? Verùm cedamus tantisper , æstimemus , veluti sunt æstimanda maximi Concilia ; magni nobiscum faciant Concilia Heterodoxi : dehinc deducamus argumenta posteris relicta.

## ARGUMENTA EX CONCILIIS.

I. Concilium I. Nicænum Secul. IV. tempore D. Sylvestri & Constantini Magni celebratum Canon. VI. in tomis Conciliorum sic habet: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum , mos autem perduret in Ægypto , vel Lybia & Pentapoli , ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem , quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est. Ubi Pontifex seu Episcopus Romanus ex comunissima totius Ecclesiæ sententia tanquam regula Episcopi Alexandrini & aliorum proponitur. Idem Concilium Canon. 39. sic ait: ille , qui tenet Sedem Romæ , Caput & princeps est omnium Patriarcharum ; quandoquidem ipse est primus , sicut Petrus , cui data est potestas in omnes Principes Christianos & omnes populos eorum , ut qui sit Vicarius Christi D. N. super cunctos populos , & cunctam Ecclesiam Christianam. Et quicumque contradixerit , à Synodo excommunicatur.*

II. Concilium Ephesinum Seculo V. sedente D. Cælestino , imperante Theodosio II. teste Evagrio factum est , à se deponi Nestorium ex mandato Cælestini Romani pontificis. Idem Concilium datis literis ad D. Cælestinum fatetur , se causam Ioannis Patriarchæ Antiocheni quòd magis dubia esset , quàm causa Nestorii , non fuisse ausam iudicare , sed reservasse iudicio ipsius Cælestini.

III. Con-

III. Concilium Calcedonense sub D. Leone I. & Martiano Imperatore institutum post lectum Concilii Nicæni 1. Canonem VI. Act. 16. ita dixit: *perpendimus omnem primatum, & honorem præcipuum, secundum Canones antiquæ Romæ Deo amantissimo conservari Archiepiscopo. Idem Concilium Chalcedonense Act. 1. 2. & 3. passim appellat D. Leonem universalis Ecclesiæ Pontificem.*

IV. Synodus Constantinopolitana Seculo VI. ante quintam Synodum in causa Antimi congregata Act. 4. per Mennam Præsidem suum est locutum: *Nos Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus, & ipsius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.*

V. Concilium Nicænum II. Seculo VIII. sub Hadriano I. Pont. imperantibus Constantino VI. & hujus matre Irene convocatum, probavit epistolam Hadriani ad Tharasium Constantinopolitanum Patriarcham exaratam, in qua hæc leguntur: *cujus sedes per totum terrarum orbem Primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei caput existit, unde & ipse B. Petrus Apostolus Dei jussu Ecclesiam pascens, nihil omnino prætermisit, sed ubique principatum obtinuit & obtinet &c.*

VI. Concilium Lateranense IV. Seculo XIII. sub Innocentio III. Pont. & Friderico II. congregatum can. 5. ita sonat: *Romana Ecclesia disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium & Magistræ.*

VII. Concilium Lugdunense II. Seculo XIII. sub Gregorio X. imperante Rudolpho Habsburgico habitum lib. 6. titul. de Electione cap. ubi periculum &c vocavit Pontificem Rom. *Vicarium Christi, Successorem Petri, Rectorem universalis Ecclesiæ.*

VIII. Concilium Florentinum Secul. XV. sub Eugenio IV. imperantibus Alberto II. & Friderico III. institutum hæc statuit: *desinimus, sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.*

Prætermisſis loco hoc Conciliis aliis de Primatu Romani Pontificis idem aſſerentibus, octo duntaxat ſunt allata, quoniam hæc & à Græcis & à Lutheranis pluris æſtimantur, quàm illa. Luit itaque hoc etiam loco ſervire ſi non Græcis, ſaltem Lutheranis, ut argumenta ſint ad hominem.

## REFLEXIO IV.

**A**udiamus, aut legamus nunc Patrum antiquiſſimorum Græcorum, & Latinorum de Primatu D. Petri ſententias, quorum tempora ut ritè teneat Hiſtoricus, annum ſimul nativitatis, & mortis addere libuit; nam & talia cognoviſſe crebrò profuit & placuit.

### SENTENTIÆ GRÆCORUM PATRUM DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.

I. D. Ignatius M. Antiochiæ Episcopus, uti multorum eſt opinio, circa annum Chriſti 26. natus, Romæ Martyrium ſuſtenuit an. 108. Is in epiſt. ad Rom. ſcripta ſic habet: *Ignatius Eccleſiæ ſanctificata, quæ præſidet in regione Romanorum.*

II. D. Irenæus Smyrnæ Seculo II. natus, inde creatus Episcopus Lugdunensis, & tandem an. 201. inter Chriſti athlethas numeratus lib. 3. cap. 3. inquit: *Ad hanc enim Eccleſiam (Romanam) propter potentioſſimam principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam hoc eſt eos, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique fideles, conſervata eſt, quæ ab apoſtolis eſt traditio.*

III. Origenes S. Leonidis M. filius Alexandria in Aegypto circa annum Chriſti 190. natus, an. 257. mortuus, cap. 6. ad Rom. ſcripſit: *Petro cum ſumma rerum de pascendis ovibus traderetur, & ſuper ipſum, veluti ſuper terram fundaretur Eccleſia, nullius conſeſſio virtutis alterius ab eo, niſi caritatis exigitur.*

Idem Homil. 5. in Exod. *Vide magno illi Eccleſiæ Fundamento & petreæ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundavit Eccleſiam, quid dicatur à Domino: modicæ fidei, quare dubitaſti?*

IV. D. Athanasius Alexandria Patriarcha, & 46. annorum Episcopus, natus ad finem seculi III. mortuus an. 371. in epistola ad Felicem Pont. exarata ita ait: *ob id vos prædecessoresque vestros, Apostolicos videlicet Præsules, in summitatis arce constituit, omniumque ecclesiarum curam habere præcepit, ut nobis succuratis &c.*

Idem in ead. epistol. *Tu es petrus, & super fundamentum tuum Ecclesia columnæ, id est Episcopi, sunt confirmata &c.*

V. D. Epiphanius natus circa annum 304. mortuus an 402. in Ancorato scripsit: *Dominus constituit Petrum primum Apostolorum petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est.*

VI. D. Cyrillus Hierolymitanus Patriarcha, natus circa an. 312. mort. 386. lib. 2. c. 2. in Joan. ita dixit: *Nec Simon fore jam nomen illi, sed petrus prædicit, vocabulo ipso commode significans, quod in eo tanquam in petra lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.*

VII. D. Basilius M. Cæsareæ in Cappadocia Episcopus Gregorii Nisseni, & D. Petri Episcopi Sebasteni frater, natus an. 328. mortuus 379. lib. 2. in Eunom. inquit: *Petrus propter fidei excellentiam Ecclesie ædificationem in se suscepit.*

Idem in epistol. 52. ad Athanasium hæc exaravit: *visum est consentaneum scribere ad Episcopum Romanum, ut videat res nostras, & iudicii sui decretum interponat &c.*

VIII. D. Gregorius Nazianzenus in Cappadocia, an. 324. natus, 389. mortuus, in oratione de moderatione servanda in Disputationibus sic loquitur: *Petrus petra vocatur, atque Ecclesie fundamenta fidei sue credita habet.*

Idem in carmine de vita sua dicit, *Romanam Ecclesiam semper conservasse veram de Deo sententiam, ut decet urbem, quæ toti orbi præsidet.*

IX. D. Joannes Chrysostrabus Antiochiæ circa annum 354. natus 407. mortuus Homil. 55. in Matth. sic habet: *Dominus sic ait, tu es Petrus & ego super te ædificabo Ecclesiam meam.*

Idem homil. 4. in caput 6. Isaia: *Quid autem Petrus basis Ecclesie: ille vehemens amator Christi, ille sermone indoctus, & Rhetorum victor ille imperitus, qui tamen Philosophis obturavit os, ille qui græcancam sapientiam non aliter, quam aranearum telam dissolvit, ille qui sagenam misit in mare, & piscatus est orbem.*



X. Theodoretus Cyri in Syria Episcopus 800. minorum Ecclesiarum Præses, natus ad finem Seculi IV. mortuus circa annum 470. in epistola ad Leonem Pont. missa hæc habet: *Ego Apostolica vestra Sedis expecto sententiam, & supplico, & obsecro vestram sanctitatem ut mihi opem ferat, justum vestrum, & rectum appellanti iudicium, & jubeat ad vos accurrere, & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequentem.*

Idem in epist. ad Renatum Presbyterum Romanum: *spoliârunt me Sacerdotio, ejeceruntque ex civitatibus, neque atatem in religione exactam, neque canitiem reveriti. Quamobrem te precor, ut Sanctissimo Archiepiscopo Leonem persuadeas, ut Apostolica utatur autoritate, jubeatque ad vestrum Concilium adire: tenet enim sancta ista Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum.*

SENTENTIÆ LATINORUM PATRUM DE  
PRIMATV ROMANI PONTIFICIS.

I. D. Cyprianus Episcopus Carthaginensis natus Carthagine circa annum 200. capite plexus an. 258. lib. 1. epist. 8. ad plebem universam scripsit: *Deus unus est, Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, præter unum altare & unum sacerdotium non potest, quisquis alibi collegerit, spargit.*

Idem similia contra Novatianos D. Cornelio Romano Pontifici repugnantes attulit.

II. D. Optatus Episcopus Milevitanus in Africa natus circa an. 310. mortuus 380. lib. contra Parmenian. quinque Ecclesiæ Catholicæ enumerat dotes, ac primam harum dicit esse unicam & singularem Petri Cathedram, in qua ab omnibus servari oporteat unitatem. Eam verò singularem Cathedram non solum Petri, sed etiam Successorum esse ostendit, enumerans Romanos Pontifices usque ad D. Syricium. Tandem his verbis claudit sententiam: *igitur de dotibus supra dictis cathedra est prima, quam probavimus per Petrum nostrum esse.*

III. D. Hieronymus Presbyter Card. Stridone in Dalmatia natus an. 329. mortuus an. 420. in epist. ad Damasum de no-

mine Hypostasis sequentia addidit: *quamquam me terreat tui magnitudo, invitat tamen humanitas, à pastore presidium orbis peto. Cum Successore piscatoris & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuae, id est, cathedrae Petri communione consocior. Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.*

IV. D. Ambrosius natus vel Treviris, vel Arelati an. 333. mortuus 397. in cap. 3. epist. D. Pauli ad Timotheum ita habet: *cum totus mundus Dei sit, tamen domus ejus Ecclesia dicitur, cuius hodie rector est Damasus.*

Idem in oratione contra Satyrum: *percunctatus Episcopum est, si cum Episcopis Catholicis, hoc est, si cum Romana Ecclesia conveniret.*

V. D. Augustinus Tagastæ in Numidia Africana natus an. 354. mortuus 430 in epistola 162. ita fatetur: *in Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedrae viguit Principatus.*

Idem epist. 92. Ad Innocentium I. Pont. *quia te Dominus gratia sua præcipuo munere in Sede Apostolica collocavit, talemq; nostris temporibus præstitit, ut nobis potiùs ad culpam negligentia valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quam ea tu possis, vel fastidiosè, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastorem diligentiam quæsumus, adhibere digneris.*

Idem lib. 1. ad Bonifacium cap. 1. *Non dedignaris, qui non alta sapias, quamvis altiùs præsideas. Et inferiùs: Communis est omnibus nobis, qui sumus, Episcopatus officio, quamvis ipse in eo præminens celsiore fastigio specula pastoralis.*

VI. D. Prosper in Aquitania circa annum 400. natus an. 455. mortuus Episcopus Regiensis lib. de ingratis ita cecinit:

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris

Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,  
Religione tenet.

Idem lib. 2. de vocatione gentium c. 6. *Roma per Sacerdotii principatum, amplior facta est arce Religionis, quam solio potestatis.*

VII. D. Hilarius Arelati an. 401. natus, & ibidem postea Episcopus an. 449. mortuus lib. 6. de Trinitate ait: *super hanc confessionis petram Ecclesiae aedificatio est.*

Idem:

Idem : *hæc fides Ecclesiæ est fundamentum , per hanc fidem infirmæ adversus eam sunt portæ inferorum : hæc fides regni cælestis habet claves &c.*

VIII. D. Victor Uticensis in Africa circa annum 420. natus , ad finem Seculi V. mortuus , lib. 2. de persecutione Vandalica Ecclesiam Romanam appellavit *Caput omnium Ecclesiarum.*

IX. D. Gregorius M. circa annum 540. Romæ natus , an. 604. mortuus , lib. 2. epistol. 37. ad natalem hunc in modum scripsit : *postquam ad beatitudinem vestram , & decessoris mei , & mea in causa Honorati Archidiaconi scripta directæ sunt , tunc contempta utriusque sententia præfatus Honoratus proprio gradu privatus est. Quodsi quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset , sine gravissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset.*

Idem lib. 4. epist. 56. ad Episcopos : *Pallium Ioanni fratri nostro Corinthiorum Episcopo nos transmisisse cognoscite : cui vos magnopere convenit obedire.*

Idem lib. 7. epist. 63. ad Joannem Episcopum Syracusanum : *nam de Constantinopolitana Ecclesia , quis eam dubitet Apostolicæ Sedi esse subiectam ? quod & Dominus piissimus Imperator , & frater noster Eusebius ejusdem civitatis assidue profiteretur.*

X. Ven. Beda in Anglia an. 672. natus an. 776. teste C. Baronio mortuus lib. 2. Histor. gentis Anglorum c. 1. *cum primum ( Gregorius ) in toto orbe gereret pontificatum , & conversis jam dudum ad fidem veritatis esset prælatus Ecclesiis , nostram gentem eatenus in idolis mancipatam Christi fecit Ecclesiam.*

SENTENTIÆ ROMANORUM IMPERATORUM  
DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.

I. Constantinus M. Seculi IV. Imperator potentissimus , hoc maximè modo conclusit : *Romæ principatum Sacerdotum & Religionis Caput ab Imperatore cælesti constitutum esse. Vide Acta Concilii Nicæni.*

II. Valentinianus III. Seculi V. Imp. in Epist. ad Theodosium II. Orientis Imperatorem data , quæ habetur in Concilio Chalcedonensi , hoc modo scripsit : *debemus dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare , quatenus beatissimus Romane civitatis Episcopus , cui Principatum Sacerdotii super omnes antiquitates contulit , locum habeat de fide & Sacerdotibus judicandi.*

C c 3

III. ju-

III. Justinianus I. Imp. Novell. 131. 15. Calend. Aprilis an. 541. edita, cum de quatuor Synodis Oecumenicis quaedam servanda decrevisset, earundem dogmata sicut sacras Scripturas accipi debere, & regulas sicut leges observari precepit. Mox de Sede Constantinopolitana addidit, ut primum locum post Romanam teneret. Vid. Spandau, in Compend. C. Baronii, aut ipsum Baronium an. 541.

Idem in epistol. ad D. Joannem II. Pont. data, quæ habetur in Codice tit. primo: *Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quod non etiam vestræ innotescat Sanctitati, quæ Caput est omnium sanctarum Ecclesiarum.*

Propositis hoc ordine testimoniis Romanorum Pontificum, Conciliorum, Patrum Græcorum & Latinorum, nec non quorumpiam Imperatorum testimoniis sanè validissimis, & maximam partem clarissimis, tam pauca, tam parva objecerunt Orthodoxis Calviniani & Lutherani Scriptores, ut nec pilum de Fidei nostræ firmitate adimere, minùs longè fidem mereri ipsi, uti dicimus, probabilem tantùm possint vel argumentis, vel responsis suis quibuscunque: verba enim eorundem ex S. Codice, Pontificibus, Conciliis, vel unde unde demum quæsitâ, & haud semel duntaxat truncata, sunt neutiquam claritate sua nostris æqualia; sunt longè aliis locorum, temporum & rerum diversarum circumstantiis à primævis suis authoribus adhibita. Ut paucis cum Theologis & Philosophis dicam multa: non sunt ad rem.

**REFLEXIO V.**  
**ARGUMENTVM HISTORICVM EX HÜB-**  
**NERO I. PRO PRIMATU PONTIFICIS**  
**ROMANI,**  
**EST VOCATIO, SEV MISSIO**  
**EPISCOPORUM.**

**Q**uid de Primatu D. Petri teneant, & tenendum dixerint S. Codex, Pontifices, Concilia, Patres & Imperatores

res, intelleximus hactenus; nunc tantæ authoritati an respondeat Historia non Orthodoxa solum, sed & Heterodoxa, tantisper dispiciamus. Hübnerus & Lutherani Scriptores alii antagonista mei perpetui, in se susceperunt laborem oppidò operosum, non solum scribendi Seriem Pontificum & Imperatorum Romanorum, sed & Archiepiscoporum juxta & Episcoporum per Germaniam universonum. Nemo nostrum sit facile, qui non laudet operam maximopere; multi tamen sint, imò sunt hodie plurimi, qui quod meritò reprehendant, reperiunt facile. Dissensio nimirum, discordia & scriptarum Serierum discrepantia, quid si palmaris in Hübneri & Sociorum tomulis iterum iterumque deprehenderetur, an non meritò reprehenderet Lector æquissimus?

Novimus ex Serie Romanorum Pontificum & Imperatorum, Hübnerum cum asseclis suis in eo totum esse, ut asserat, assertumque Lectori persuadeat, Phocam Seculi VII. Imperatorem extitisse primum authorem & assertorem iniquissimum Primatus Romani supra Episcopos. Jam verò cum iisdem prioribus tomulis comparare & componere lubeat ejusdem Hübneri tomulum VII. & VIII. quos de Archiepiscopis & Episcopis Germanicæ Ecclesiæ in lucem edidit. In tomulis prioribus, negat Romanis Episcopis jura Primatus; negat in quosvis Episcopos jurisdictionem; negat Petrum esse Authorem Episcoporum in orbe universo multorum; titulus Episcopi Oecumenici est ipsi nota characteristicæ Anti-Christi, Bonifacio III. Seculo primum VII. à Phoca tyranno inserta. Non ita profectò sonant tomulus VII. & VIII. Prior enim

Pag. 638. ubi exordium ponitur Trevirensium Historiæ, recenset rem more Scriptorum Catholicorum de DD. Eucharis, Valerio & Materno Episcopis à D. Petro Româ dimissis in Germaniam, Idem factum eodem tomul. repetit pag. 765. in  
Colo-

Coloniensi Historia. His similia sequuntur in cit. tomul. pag. 856, ubi orditur Leodiensis Ecclesiæ Episcoporum Seriem.

Pag. 416. exordium faciens Episcopis compendio dandis Vindonissæ seu Constantiæ, non audet negare, D. Beatum S. Petri discipulum Episcopatus posuisse fundamentum Vindonissæ novo.

Pag. 463. refert D. Petrum ipsissimum venisse Curiam, & initium fecisse ibidem Episcopatus: an ipsemet verò Curia Episcopum egerit, & D. Lucium Successorem constituerit, liquidum nondum esse.

Pag. 647. fatetur, D. Agritium natione Græcum Episcopum, aut fortè etiam Antiochiæ aliquo tempore Patriarcham, rogante D. Helena Imperatrice Trevirensibus à D. Sylvestro an. 327. constitutum fuisse Archiepiscoporum Treviris omnium primum. Argumenti loco addidit hoc dytichon:

Accipe Primatum post Alpes Trevir ubique,  
Quem tibi Roma, nova lege dat & veteri.

Unde profecuturus Historiam eandem dicit: nos insistamus *traditioni antiquæ*, qua accepimus D. Agritium Trevirorum fuisse Archiepiscoporum omnium primum.

Pag. 713. confitetur, D. Clementem ob traditionis perpetuæ argumentum Metensis Ecclesiæ primum esse dicendum Episcopum jam Seculo I. constitutum à nemine alio, quàm, si fides sit habenda diversis authoribus, ab Apostolorum Principe Petro haud secus, quàm ab eodem missi & constituti sunt DD. Eucharius, Valerius & Maternus.

735. Refert asseri, D. Mansuetum Tullensi Ecclesiæ Secul. I. à D. Petro datum esse Episcopum.

Tomul. VIII. dubitat, an D. Laurentius (diversus longè à D. Laurentio Diacono) Archiepiscopatum Laureacensem, Salisburgum dein translatus, inchoaverit Secul. I. mittente D. Petro, an D. Marco,

Pag.

Pag. 10. ait D. Maximilianum Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscopum circa annum 250. ut Decii Imperatoris persecutionem declinaret, fugisse Romam; verum à D. Sixto II. Rom. Pont. remissum in Germaniam rediisse, tametsi inter Martyres se ocyùs numerandum apprime sciret.

Pag. 13. affirmat, Theodorum I. Laureacensem seu Salisburgensem Archiepiscopum à D. Symacho Pont. Rom. Archiepiscopali Pallio an. 499. esse donatum. Quibus verbis addere Hübnero libuit: ex hac donatione sequi neutiquam, Theodoro Laureaci non præcessisse Archiepiscopos pridem institutos.

Pag. 14. haud diffitetur, Philonem Theodori I. Rom. Pont. autoritate constitutum esse Laureaci Archiepiscopum, dum Passavio Erckenfridus à Bavariæ Principe est impetratus Episcopus. *vid. etiam pag. 15.*

Pag. 262. narrat D. Lucanum Brixinensem Episcopum circa an. 424. ob dispensationem contra jejuniij Ecclesiastici legem liberius, quàm par esse dicebatur, petentibus concessam, evocatum Romam venisse, & luculento miraculo ab omni culpa immunem sese esse commonstrasse.

Pag. 344. more Catholicorum defendit, D. Linum inter LXXII. Christi Servatoris nostri discipulos numeratum venisse unà cum D. Petro Romam; Romam dimissum in Galliam miraculis inclaruisse, & Visuntinis Archiepiscoporum ibidem omnium primum præluxisse teste traditione perpetua.

Pag. 347. Scribit D. Maximinum Seculo Christi III. à D. Cajo Rom. Pont. fuisse consecratum & Visuntinæ Ecclesiæ missum Archipræsulem. Similia recenset pag. sequenti de SS. Eusebio & Hilario, quorum primum à D. Miltiade, & Secundum à D. Sylvestro consecratos ait Episcopos.

Pag. 359. S. Celidonius Visuntinus Antistes ab Arelatensi Episcopo Hilario iniquè postulatus appellavit an. 445. ad D. Leo-

nem I. Pontificem, cujus authoritate Sedi suæ pristinæ est restitutus.

His fanè simillima continent plura tomuli Hübneriani, ex quibus juvat colligere, Pontifici Romano in Episcopos jam assertam fuisse potestatem Seculo post Christi natales I. II. III. IV. V. VI. atque adeò ante Imperium Phocæ tyranni, qui cœpit imperare an. 602. de quò vid. Seriem Rom. Pont. & Imperat. Liquet igitur, Hübnerum in libellis suis sibi met totum contrarium nunc adimere, nunc concedere Pontifici Primatum in Ecclesias à Romana distinctas.

Cæterùm D. Petri & Successorum Pontificum in quosvis Episcopos Orthodoxos Primatum ut ampliùs perspiciant universi, huc annectere placet Catalogum Episcopatum multorum, quorum D. Petrus teste Historia Ecclesiastica author jam extitit. C. Baronius ad annum Christi 46. hunc in modum recenset:

*Habuit à petro institutos Episcopos Sicilia Pancratium, Marcianum, Verillum & Philippum; Capua Priscum; Neapolis Aspren; Terracina Epaphroditum; Aequicola Marcum, alium tamen ab Evangelista; Ptolomæum Nepe; Romulum Fesula; Paulinum Luca; Ravenna Apollinarem; Verona Euprepium; Patavium Prosdocimum; Ticenum Syrum; Aquileia post Marcum Hermagoram; in Gallis Lemovicenses, Tholosani & Burdegalenses Martialem; Tungrenses, Colonienses & Trevirenses Maternum, nec non Valerianum; Rhemenses Sixtum; Arelatenses Trophimium; Senonenses Subinianum; Cenomanenses Iulianum; Vienna & Moguntia Crescentem; Catalanum Gallie Memmium; Bituricenses Visinum; Avernenses Austremomium; Sanctonenses Eutropium; Germania Eucharium, Egistum & Martianum; Hispania Torquatum, Ttesiphontem, Secundum, Indaletium, Cæcilium, Hefichium, Euphratium & alios.*

## REFLEXIO VI.

ARGUMENTVM HISTORICVM II. EX HÜBNERO PRO PRIMATU ROM. PONTIFICIS,  
EST NUMERVS EPISCOPORVM  
DIVORUM.

**F**undamentum seu Petram Ecclesiæ Germanicæ ob oculos posuerunt nobis superiùs dicta; nunc quales quantæque colum-



columnæ huic Petræ variis sint innixæ Seculis , ampliùs considerabimus , Hübnero , ut ita agamus , nos contra se prope modum invitante : quippe si tomulos ejusdem Scriptoris VII. & VIII. de Archiepiscopis & Episcopis Germanicis inscriptum denuo ritè inspiciamus, occurrunt nobis Antistites numero plurimi , doctrinâ præstantissimi, virtutibus instructissimi, sanctitate morum plurimùm conspicui , miraculis clarissimi.

In Serie namque Archipræfulum Moguntinorum numerat ipse Hübner Antistites Sanctorum nomine & radiis insignitos plures quàm 20. nimirum

SECULO I.

D. Crescentem,

SECULO II.

D. Martinum I.

D. Crescentium,

D. Cyriacum,

D. Hilarium,

D. Martinum II.

D. Celsum,

D. Lucium,

SECULO III.

D. Gothardum,

D. Sophronium,

D. Herigerum.

D. Rutherum,

D. Avitum.

D. Ignatium,

D. Dionysium.

SECULO IV.

D. Ruthbertum,

D. Adelardum,

D. Lucium Annæum,

D. Maximum.

SECULO V.

D. Aureum,

SECULO VIII.

D. Bonifacium.

NB. Oportuisset Hübnerum non paucos alios in Divorum numerum relatos addere , uti ex Serie Moguntina apparet.

In Serie Archiepiscoporum Trevirensium numerat Hübnerus 8. nimirum

## SECULO I.

S. Eucharium,  
S. Valerium,  
S. Maternum.

## SECULO II.

S. Auspicium.

## SECULO IV.

S. Agritium,  
S. Maximinum,  
S. Paulinum.

## SECULO V.

S. Leontium.

NB. Decuisset profectò facilè XV. alios adjungere teste Archipræsulum Trevirensium Serie ab Authoribus nostris superiùs relata.

In Serie Archiepiscoporum Colonienfium affert Hübnerus, solùm duos à D. Materno diversos, scilicet S. Paulinum Seculi II. & D. Heribertum Seculi X. Archiepiscopum. At enimvero iniquissimus est Colonienfium Archipræsulum censor Hübnerus, omittens multos Sanctitatis glorioso nomine ab universa Ecclesia constanter insignitos, *Vid. Seriem nostram.*

In Serie Salisburgenfium Archiepiscoporum refert tantùm 5. nempe D. Quirinum Seculo IV. D. Rupertum Secul. VII. eod. Secul. D. Vitalem. Secul VIII. D. Virgilium Secul. XI. D. Thiemonem. Sed & in Salisburgenfes nimium iniquus est Scriptor Hübnerus, quòd in Divorum album plures non numeret. *Vide Historiam Salisburgenfem utriusque P. Mezger.*

In Serie Vifuntina enumerat 20. videlicet.

## SECULO I.

D. Linum.

## SECULO III.

D. Maximinum.

## SECUL. IV.

D. Paulinum.

D. Eusebium.

D. Hilarium.

D.

D. Pancratium.

D. Iustum.

D. Anianum.

D. Germanum.

D. Antidium.

SECULO V. & VI.

D. Leontium.

D. Celidonium.

D. Nicetium.

D. Protadium.

In Serie Bambergensi 1. scil.  
Andecensem.

In Serie Herbipolensi 3.  
Brunonem.

In Serie Eustadiana 1.

In Serie Wormatiensi 2.

In Serie Argentoratensi 7.  
Florentium, Iustum, Maximum,

In Serie Augustana 3.  
Udalricum.

In Serie Constantiensi 5.  
ximum I. & Maximum II.

In Serie Curiensi 1.

In Serie Hildesiensi 2.

In Serie Verdeni 4.  
conem & Adelvvardum.

In Serie Metensi. 1.

In Serie Leodiensi. 3.  
Lambertum.

In Serie Frisingensi 1.

SECULO VII.

D. Donatum.

D. Migetium.

D. Ternatium.

D. Gervasium.

SECULO VIII.

D. Gedeonem.

SECULO XI.

D. Hugonem.

S. Ottonem natum Comitem

SS. Burchardum, Arnonem &

S. Wilibaldum.

SS. Amandum II. & Burchardū.

SS. Amandum, Arbogastum,  
Valentium, Solarium.

SS. Zosimum, Simpertum &

SS. Beatum, Paternum, Ma-  
cum Conrado.

S. Alimonem.

SS. Bernvvardum & Gothardū.

SS. Suibertum, Pattonem, Tan-

S. Clementem.

SS. Maternum, Servatium &

S. Corbinianum.

D d 3

In

In Serie Ratisbonensi 6.	SS. Lupum, Rupertum, Emmen- ramum, Erhardum, Garibaldum & Wolffgangum.
In Serie Brixinensi 4.	SS. Cassianum, Ingevinum, Constantium, Albuinum.
In Serie Tridentina 1.	S. Vigilium.
In Serie Basileensi 1.	S. Pantalum.

En copiosum Archiepiscoporum & Episcoporum, natione vel habitatione Germanorum duntaxat numerum, non ex Historico Romano, sed Heterodoxo collectum, cui multos alios annumerant C. Baronius, Serarius, Brovverus aliique Authores Catholici, præcipuè verò singularum Dioecesum Breviaria propria. Fingamus tamen, tot solùm virtutum lucidissimarum radiis fulsisse, quot numeravit Hübnerus, evincunt iidem nihilominus contra Lutheranam aliàmque à Romana diversam Ecclesiam quamvis, non nisi Romanam esse Superis pretiosissimam: Episcopi namque hi sanctissimi non nisi Romano Pontifici dixerunt sacramentum; non nisi Romanam didicerunt & docuerunt doctrinam; non nisi in Romana Ecclesia virtutibus se & alios exornârunt; non nisi in Romanæ Ecclesiæ, veluti in matris gremio universi ac singuli diem mortis obiêrunt, plurimis eorundem Martyrum laureolâ coronatis.

## REFLEXIO VII.

### ARGUMENTVM HISTORICVM III. EX HÜBNERO PRO PRIMATU ROM. PONT. SUNT MULTIPLICIA EPISCOPORUM MIRACULA,

#### §. I.

**C**ùm providentissimus Servator Christus & hæresiarchas & sectarios venturos prævideret, multis modis vitare eos nos monuit, & cognoscendos dedit Matth. 7.

Alt.

*Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos. Marci etiam 16. Euntes in mundum universum predicate Evangelium omni creature. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eiicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. &c.*

His aliisque miraculis proditi sunt Pseudo-doctores varii tum Veteri, tum Novo Testamento notissimi. His item aliisque miraculis docemur intelligere signa, fructus seu opera, ex quibus licet colligere, num quis inter Prophetas, an pseudo-prophetas, an inter Doctores, an pseudo-doctores sit collocandus. Probata nimirum opera & miracula nunc in Prophetis, nunc in Apostolis, nunc in Doctoribus simul conjuncta, ostenderunt orbi universo Veteris & Novi Testamenti integritatem. Jam verò similia opera & miracula in Archiepiscopis & Episcopis nostris Germanicis, si ostenderit nobis ipsemet Hübnerus, promptissimum nobis erit dicere, quin altum exclamare: profectò Præsules hi Germani numerati & numerandi sunt, vel inter Prophetas, vel Apostolos, vel Doctores Christi, Ecclesiæ constanter integræ testes integerrimi, constantissimi.

Colligamus igitur ex multis Hübneri paginis ejusdem mentem de operibus & miraculis Archipræsulum Moguntia, Trevirorum, Colonia, sed & aliorum saltem paucorum partim Archiepiscoporum, partim Episcoporum: nam omnes aut omnium opera egregia atque miracula recensere, esset ingens volumen implere.

§. 2.

### IN SERIE MOGVNTINA

Pag. 14 narrat Hübnerus, D. Aureum & hujus sororem D. Justinam an. 451. ab Hunnis in puteum præcipitatos esse eo Superum beneficio, ut eorundem cadavera post 300. annos imperante Carolo M. nulla sui parte læsa fuerint inventa.

Pag.

Pag. 23. D. Bonifacius Christi doctrinam explanans inter avidos auditores miratur diversas volucres. Idem Oræ fluvii ripæ insidens, cum cibo necessario foret destitutus, piscem volucris ministerio datam accipit. D. Bonifacii tentorium etiam integris noctibus fuit illustratum clarissimis radiis. His multisque aliis D. Archipræsul claruit miraculis.

Pag. 27. D. Bonifacius latronibus vim inferentibus vim nullam intulit, & ab aliis inferri prohibuit: ferales ictus Bibliorum libro & sacris reliquiis duntaxat impediit: unde evenit: ut tamen si liber hic sacerrimus gladio perfoderetur, nullus tamen apex aut litera læderetur.

Pag. 28. Cum D. Bonifacii cadaver Moguntiam Ultrajecto transferendum, pertinaciter negarent concedere cives ultrajectenses, cives verò Moguntini ardentius desiderarent, campanæ cœlesti virtute motæ, abeunti cadaveri applauserunt, obstupescente, & palmam cedente Ultrajecto Moguntia.

Pag. 34. Cum anno 873. Carolus Crassus à Cacodæmone esset obsessus, & omnes in partes tanto impetu fuisset raptus, ut eidem sustinendo sex viri fortissimi impares forent; maximo tamen huic malo remedium attulit Lindbertus Archiepiscopus, pulso infernali hospite.

Pag. 45. cum mater Willegisii primi Electoris Moguntini uterum ferret, visa est sibi per somnium haudquaquam inane parere orbi Phæbum clarissimum, qui profectò fuit Willegisius.

Pag. 48. Bardo Archiepiscopus Moguntinus tanti fuit æstimatus, ut passim alterum Chrysostomum dixerint. Idem Paderbornæ an. 1051. diebus Pentecostes præsentate Henrico III. Imperatore dixit, ut aliàs ferventissimè, ubi prædixit diem mortis suæ, quæ fuit dies Lunæ proxima.

§. 3.

IN SERIE TREVIRENSI.

Pag. 654. D. Nicetius Archiepiscopus muneri suo sese accingens, humeris suis gravissimum onus modo penitus insolito sensit imponi, quod tamen continuò secutus est cœlestis odor; unde confessus est idem, gravissimum equidem sibi fore Archiepiscopalis munus, nunquam tamen defuturum sibi hocce in munere solatium cœleste.

Idem à sceleratis Sede sua expulsus vates prædixit diem restitutionis suæ. Alia multa nuntiavit, quæ eventus comprobavit.

Pag. 658. Magnericus Archiepiscopus & Gregorius Turonensis Episcopus Reliquiis S. Martini servati sunt à naufragio.

Pag. 662. Normannis Treviros vastantibus, inter miracula alia D. Paulini Archiepiscopi cadaver sarcophago inclusum, atque in aere pendulum, rescissis etiam ab hoste catenis, pendere non cessavit.

Pag. 666. Poppo Elector, Austriæ Marchio adversus venenum ab inimicis porrectum servatur; sceleris verò conscii intra unius anni spatium moriuntur omnes justò Dei iudicio.

§. 4.

IN SERIE COLONIENSI

Describitur ab Hübnero D. Maternus bis mortuus, bis redivivus pag. 765.

Pag. 776. S. Severinus S. Martini Turonensium Episcopi animam ab Angelis in cœlum portari cœlestes inter hymnos audivit. Idem Viro Solitario virtutibus clarissimis instructo est à Superis præhabitus Dei nuntio teste.

Pag. 785. Gero creatus Archipræsul, ne diutiùs adversarium experiretur Ottonem I. Imperatorem, Deus Angelum misit monitorem & correctorem Ottoni severum.

E e

Pag.

Pag. 788. D. Heribertum primum Coloniae Electorem cum D. Henricus Imperator propitio non dignaretur oculo, Dei monitum adeo mutavit Imperatorem, ut ab eodem tempore suum dixerit in Christo parentem Heribertum Henricus. Caeterum inter miracula D. Heriberti numerantur sequentia: eurgumeni à demone liberatio. Aqua supra Archipræsulis hujus effusa manus adversus morbos fuit præsens remedium. Vinum, cui D. Heribertus digitum intingebat, usum oculorum foeminae restituit. Signo crucis sanavit paralyticum. Precibus suis caelestem lucem latissime diffusam impetravit. D. Henrico Caesari diem mortis praedixit. Taceo plura alia.

Pag. 789. & seqq. Piligrinus Coloniae Elector ex D. Bernvaldo Hildesienfi Episcopo etiamnum puer intellexit, fore se Archiepiscopum Coloniensem. Parochus dein prope Coloniam constitutus, D. Henrico Caesari divinitus commendatur. Piligrinus etiam ad aram faciens intelligit ex caelesti nuntio mortem D. Bernvaldi, pro cuius tanquam mortui salute populo obstupefacto preces addidit publicas, tametsi pro vivis solenni ritu celebraret.

Anno Elector Henrico III. Caesari praedixit Imperii Coronam, Hildolpho autem Successori Coloniensem Infulam Pag. 793. & 798.

## S. 5.

## IN SERIE SALISBURGENSI.

Pag. 11. Seculo Christi III. S. Maximilianum Archiepiscopum, ut idolum Martis effigiem referens fortiter in Pannonia impugnaret, animavit hunc in modum vox caelestis: *ne timeas serve bone, sed surge & confidenter perge, ut confundas tyranni petulantiam.*

Pag. 27. cum seculo VII. S. Vitalis sepulchro immineret homo ad quidvis audendum pronissimus, & negaret magni nominis sepultum hic esse Episcopum; tunc repente ex corde reli-

cti



cti sacri cadaveris enatum est, penetrato etiam lapide sepulchrali, liliū, Sanctitatis eximiae testimonium.

Pag. 41. Hartvvicus Seculi X. Archiepiscopus, cum hyberno tempore proficisceretur per vallem Pliembachensem, decerpfit ex arbore arida fragmen aridum, quod non minus coepit florere, quam virga Aaronis.

Pag. 42. Bertholdus adolescens literis navans operam unam cum Sociis non imparis nobilitatis Altmanno & Adalberone, cum forte inter sese quaestionibus luderent, vel certarent, quid sibi inter mortales optimum optarent aut eligerent, respondit Gebhardus, se optare sibi Archiepiscopatum Salisburgensem; Adalbero Episcopatum Herbipolensem; Altmannus vero Passaviensem. Potius forte divina, quam humana evenisse omnia, rerum eventus monstravit testibus miraculis clarissimis; nam cum Altmannus ab Henrico IV. Schismatico Caesare plurimum vexatus Romam venisset animo omni penitus dignitati & honori nuntium remittendi; nihilominus Gregorius VII. Pont. Passaviensem Episcopatum eidem denuo commissum diceret, columba caelestis in aede omnibus conspicua insedit humeris Altmanni, testis utique universis acceptissima.

Par miraculo videri etiam poterat, quod pari tempore & animo constantissimo Henrico IV. Imperatori restiterint, & Ecclesiam Germanicam, a multis sceleribus immunem magna ex parte conservarent pari propemodum tempore mortui, nimirum Gebhardus an. 1088. Adalbero an. 1090. & Altmannus an. 1092.

Pag. 47. S. Thiemo a pseudo-Archipræsule suo Bertholdo multa, ab Henrico autem IV. Imp. plura acerba passus, a Caesareanis denique captus, & in praesentia multis à Salisburgensium numero capite plexis, cum ipse jamjam plectendus, caput ictui ferali subdere pararet, ferrum occulta vi impeditum, intentato secundo ictu instar fragilis vitri disruptum adeo commovit ministrum justitiae, ut coram flagitaret veniam à D. Ar-

chipræsule. Idem Archipræsul in Palæstinam profectus, præfente Sultano Ægyptiaco pronuntiatis altè SS. Triadis nomini-  
bus imaginem dæmonis in mille dissolvit frustra, ob miraculo-  
sum hoc factum Martyr invictissimus passus an. 1101. Martyrium  
durissimum.

Pag. 52. & seqq. emissò à parentibus voto conceptus Eber-  
hardus filius, quantus sit futurus prodidère ova gemina præter  
& supra morem naturæ à gallina quappiam posita. Idem suc-  
cessu temporis orationi perpetuæ intentus, cùm aliquando con-  
secratam hostiam, ut vocamus, ægotanti porrigeret, verùm  
hic eandem subitò ex ore cum vomitu redderet, Archiepiscopus  
supposita manu utrumque excepit, & absorbuit, testatus sanctis-  
simè, præ alia quavis cupidine sapuisse sibi hunc cibum cœle-  
stem. Requisitus paulò post ab eodem Eberhardo æger, haud  
ampliùs est inventus, opinantibus inde plerisque, ægrum hunc  
ipsissimum fortè fuisse Christum Servatorem nostrum.

Idem à dæmone hominem durissimum in modum torquente  
inventus est idoneus, qui infernali hospite miserimum mancipium  
liberaret; cùm responderet exorcismis adactus nebulo: *nemo me  
pellet, nisi pater pauperum.* Cæterùm sepulchrum hujus Archipræsuli  
multis inclaruit miraculis.

## §. 6.

## IN SERIE VISUNTINA.

Pag. 349. cùm D. Justus cum morte luctaretur, ex ejus-  
dem ore beata anima instar candidæ columbæ ad cœlos ascendit.

Pag. 351. S. Germanus à latronibus oppressus audiit vocem  
de cœlo delapsam, qua animatus caput securi subdidit: percus-  
sa autem D. Martyris cervice terra adeò contremuit, ut colla-  
berentur mania urbis Grandisfontanæ. Truncus corporis in-  
terea stans erectus recepto in manus capite abiit Angelo comi-  
te, luce clara duce, supra collum sedente columba cœlesti.

Pag.

Pag. 359. S. Celidonus à Theodosio II. Imp. divinitus admonito accepit brachium S. Stephani. De transmissio per longissimum viarum spatium brachio divinitus pariter edocti diem vicini in Francia Episcopi, Visuntium properarunt circa annum 444. inspecturi rem coram. Omnibus igitur dum simul ostendit thesaurum hunc suum D. Celidonus, & particulam singulis de eodem impertire parat, copiosus mox inde effluxit sanguis, qui dispersus abundè sufficere potuit decem Episcopis.

Pag. 362. S. Prodatius in vota vocatus imperavit aeris tempestatibus. Hujus ipsius ætate brachium D. Stephani à furibus clam ablatum, sed & inventum insignibus claruit miraculis.

Pag. 363. cum Canonici Visuntini an. 633. in Electione novi Archiepiscopi dissiderent maximopere, simulque flexis genibus Superos rogarent, ut quem eligerent Canonici, inspirarent: continuo vox de cœle lapsa dictavit, eligendum esse Claudium.

Pag. 364. D. Donatus Seculo VII. sterilibus parentibus eo pacto à D. Columbano est impetratus, ut natum filium parentes Deo dicarent, quod evenit miraculi teste ipsomet *Donati* nomine.

Hactenus relata fusissimè ferè ad verbum ex Hübneri tomulis, teste paginarum numero, describere placuit. Longè plura miracula ab Episcopis per Germaniam universam patrata desideranti dabit ipse Hübnerus in citt. tomulis VII. & VIII. uti apparebit etiam ex Reflexionibus, quæ sequentur. Unde denuo mecum sic reputabam: si non tot, permultis saltem miraculis cœlum propitium Episcoporum Germanorum doctrinam & virtutem confirmavit & illustravit per secula non solum prima, sed & media, imò & ultima. Si verò inter miracula lucere non cessavit Ecclesia Germana, cur non etiam Romana, cujus se filiam constanter professa est, & hodie profitetur? Unde sequuntur Reflexiones proximæ.

## REFLEXIO VIII.

ARGUMENTVM HISTORICVM IV. EX HÜBNERO PRO PRIMATU ROM. PONT. SUNT PHOCÆ IMPERATORIS TEMPORA ET CIRCUMSTANTIÆ ALIÆ.

**A**rgumenta hæcenus proposita etsi talia ac tanta sint, ut sanæ mentis homini de legitimo Petri & Successorum jure vix dubium possint relinquere, nihilominus argumentum argumentis prioribus accedat posterius, præcipuè petendum ab Archiepiscopis & Episcopis primò per Germaniam, dein per Europam, & demum per orbem univèrsam longè diversis & dispersis. Fingamus itaque, ante Bonifacium III. Pont. & Phocam tyrannum per sex prima secula prorsus nullam fuisse Romanis Episcopis in Episcopos alios imperandi aut dirigendi potestatem. Fingamus Imperatoris huius conjunctam vim ac potentiam extitisse tantam, quanto ullo unquam tempore fuit vis aut potestas Imperatorum vel Pontificum in cogendis ac subigendis Episcopis, Clericis ac Monachis. Hæc si finxerimus, & Lutheranis Scriptoribus tanquam rata habuerimus, id tamen impetrabunt minimè, quod tantopere sibi concedi postulant. Si namque duo rerum capita juxtà collocemus, & sedulò perpendamus, unum continuò subvertet alterum. Eadem duo capita sint, primum nempe: Romanus Pontifex à seculo VII. usque ad hanc nostram ætatem in omnes omnino Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, Episcopos, Antistites quovis, Clericos & Monachos accepit potestatem. Caput alterum: tantam potestatem demique concessit Phocas Imperator Bonifacio III. Utrumque mordicus defendit Hübnerus cum sociis passim in suis tomulis, præsertim verò I. de Romanis Imperatoribus, & Tom. III. de Romanis Pontificibus. Utrumque horum capitum ferè inter fidei sui dogmata numerant Lutherani passim plurimi. Jam verò an simul stare queant

queant, considerare hoc opus hic labor est. Ego audacter pronuntio: vel Phocas Imperator nullam concessit potestatem Romano Pontifici; vel si concessit, vanissima hæc Phocæ fuit concessio: fuerit enim, uti lubet fingere, Phocæ tyranni in Orientis Imperio vis maxima & autoritas in Episcopos etiam, quod nusquam ostensum hactenus; huius tamen tyranni in Occidentis Imperium prorsus nulla fuit vis unquam aut autoritas; veritatis hujus testes sunt tot, quot Occidentis & Orientis Historiam vel primis gustarunt labiis. In rei testes etiam advoco universam Germaniam, Italiam, Hispaniam, Galliam, Angliam, Daniam, Sueciam &c. Testis mihi maximus contra Hübnerum & hujus socios sit ipse Hübnerus in suis tomulis, nimirum I. tom. cujus pars magna continet Seriem Romanorum Imperatorum in Occidente per 300. annos interruptam. In tomulis reliquis communi omnium Historicorum calculo affirmat Seculis præsertim V. VI. VII. & VIII. per Europam vel erecta nova, vel certè antiqua adeò confirmata fuisse regna & Regum jura, ut Orientis Imperatores omni sua potestate exciderint, quam tamen Seculis prioribus etiam in Occidentis partes extenderunt Imperatores partim Christiani, partim gentiles. Quamvis igitur Phocas sua qualicumque imperitandi peritia per annos sui Imperii 8. totius Orientis Episcopos subjecisset Romani Pontificis imperio, vel si mavis jugo, cum violentum non facillè sit perpetuum, omnem vel imperandi vel regnandi methodum Pontificiam adhuc novam & maximè violentam sepeliisset cum extincto Phoca mors Ecclesiæ Romanæ tunc hostibus multis jucundissima. Ist hæc verò qualiscunque vis in Occidentis plagas vires suas neququam extendisset. Fingamus verò & istud contigisse, aut potuisse contingere, quid tunc eventurum fuisse divinamus? Repono: divinare non nisi bella gravissima licet: cum enim non minor Seculo jam VII. potestas fuerit fixa & rata habita Archiepiscopis & Episcopis in Germania, Italia, Hispania, Gallia,  
An-

Anglia &c, quàm firma fuit potestas Episcoporum in Oriente; totius Occidentis profectò Episcopis omnibus oblata fuisset simul occasio peridonea resistendi, quin ultro denunicandi belli *Romanae potentiae, superbiae, Romano tyranno, Anti-Christo*, uti honorifico scilicet nomine appellari crebrò legimus & audivimus invitis auribus. Quæ non facta fuisse cùm confiteatur, imò potiùs contrarium evenisse multis in paginis testetur usque adeò, ut abundantissimè constet Historiæ peritis omnibus, Episcopos natione, aut potestate Germanos, Italos, Hispanos, Gallos, Anglos &c perrexisse causas suas majores Romam dirigere, Romano Pontifici subesse, sententiam petere & latæ sententiæ caput inclinare; certissimum inde nobis denuo fuit argumentum dicendi, Seculis prioribus assertam Romano Pontifici potestatem esse viribus humanis quidpiam majus, ipsius Divini nimirum Servatoris & Ecclesiæ Conditoris auctoritatem Vicarium sibi firmantis: vel certè afferendum est toto ore & pectore: Deus inusitato prorsus miraculo quosvis in Occidente Episcopos adeò potenter movit, ut unanimi consensu sese subdere non dubitârint uni Supremo in terris, eique Romano Episcopo. Ausim sanè ego simile miraculum inter primæ notæ miracula numerare. Profectò experientia jugis docuit, in causis quibuscunque onus secum ferentibus, item in causis vel damnum, vel diminutionem dominii continentibus, non solùm Principes Politicos, sed æquè & crebrò ardentius Ecclesiasticos certasse, pugnasse, dimicasse, potiùs sanguinem fudisse & vitam amisisse, quàm sui suorumque diminutionem inertis animo pertulisse. Quæ omnia aliâque plura cùm multis paginis etiam Hübnerus & focii asserant, quid hic aut horum amici denique sint responsi loco allaturi in medium, avidissimè exspecto.

## REFLEXIO IX.

ARGUMENTVM HISTORICVM V, EX HÜB-  
NERO PRO PRIMATU ROMANI PONTIFICIS  
SUNT SUPPOSITA MALE FUNDATA.

**U**T Lector amicus amplius comprehendat totius rei cardi-  
nem, qui hoc vertitur loco, compendiò repetere lubet,  
quæ in Serie Romanorum Pontificum & Imperatorum  
de Bonifacio III. & Phoca Imperatore uberiùs sunt proposita.

Peritorum nemini obscurum est, Constantinum M. relicta  
Italiae urbe principe Constantinopolim erexisse extincto veteris  
urbis Byzantii nomine. An. 314. creatum esse Byzantii Episco-  
pum ordine IV. Metrophanem nomine, testantur Cedrenus &  
Zonaras, quem Probi Imperatoris fratrem eorundem authorum  
affirmat posterior. Hunc ipsum Byzantinum Episcopum Archi-  
præfuli Heracleensis Ecclesiae Episcoporum aliorum more ea etiam  
ætate fuisse subditum, passim traditur. Postquam verò urbs  
nova Romæ simillima tantum nacta est conditorem, quantus fuit  
Constantinus M.; postquam Concilia in Orientis Imperii urbi-  
bus, & quidem Constantinopoli crebriùs fuerunt congregata;  
postquam Justinianus I. maximopere cæpit favere Episcopo  
Constantinopolitano contra Alexandrinum, & paulò post etiam  
Romanum; tunc enim vero primus, aut certè non ultimus am-  
bitionis & Zizaniorum author multiplex identidem magis inva-  
luit, ut Constantinopolis Patriarcha non modò Alexandriae Præ-  
fuli præsumperit imperare, sed ipsius etiam Romani Pontificis Im-  
perium vix ullo in pretio habere amplius, quod de Joanne cog-  
nomento Jejunatore præsertim, Seculi VI. Constantinopolis  
Patriarcha neutiquam est dubium.

Hæc totius controversiæ Synopsis Auditoribus Orthodoxis  
est minimè ambigua; Scriptoribus verò Heterodoxis nimium

F f

vide-

videtur anceps & dura in libris de Imperatorum & Pontificum Serie inscriptis; at in libris aliis, uti sunt Series Archiepiscoporum Germanicorum, vix non cum Catholicis sentiunt scriptorum & dictorum suorum parùm memores. Argumenta autem, cur ita vacillent Scriptores iidem, sunt varia, aut veriùs non argumenta sed supposita sunt vanissima, quæ idcirco æquorum arbitro ante oculos pono, & ex Romanorum Serie reposito. Supponunt itaque

I. Imperatorum neminem ante Phocam in animum induxisse suum, ut crederet, Romanum Pontificem jure vocatum fuisse *Episcopum Oecumenicum*.

II. Supponunt tanquam responsum Delphicum, Episcopum Constantinopolitanum non minùs supremum Ecclesiæ caput fuisse inter Græcos Episcopos, ac fuit inter Latinos Episcopos Romanus Pontifex.

III. Supponunt tanquam certæ Historiæ articulum, per sex Pontificum ac Imperatorum Secula, nec Gregorium M. nec ullum alium Romæ Antistitem hoc usum fuisse nomine.

IV. Supponunt tanquam fidei regulam, Sexaginta primos inter Romanos Pontifices, usque ad Bonifacium III. nusquam exercuisse in universam Ecclesiam *ullam potestatem supremam*.

V. Supponunt causam hanc omnium Archiepiscoporum & Episcoporum adversùs Romanum Pontificem fuisse omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis per Orientem, imò per orbem universum *communem, communissimam*.

Quàm verò infirma, vana & nullius profectò ponderis sint imaginaria hæcce supposita omnia, lubeat obsecro ex Reflexionibus hætenus omnibus colligere; & ritè intelligere ex C. Baronio, Bellarmino. Vid. etiam Series Roman. Pont. & Imperatorum.



## REFLEXIO X.

ARGVMENTVM HISTORICVM VI. PARTIM EX ORTHODOXIS, PARTIM EX HETERODOXIS AUTHORIBUS PRO PRIMATU D. PETRI, EST INSTITUTIO EPISCOPORUM PER ORBEM FERE UNIVERSUM.

**D**ixi paulò superiùs, si Seculo post Christi natales VII. universi ac singuli in orbe universo ita conspirâssent Archiepiscopi & Episcopi in unum supremum caput, Episcopum nempe Romanum, inusitato prorsus miraculo Deus totius Ecclesiæ suæ sensus & animos adeò illustrâssent, ut hæc ipsissima hæctenus inaudita inspiratio, uti vocamus, instar legis & instituti divini posset accipi & propemodum adorari. Ut res clariùs tanquam pleno meridie luceat, simulque eruditionis avidus Lector Romanæ Ecclesiæ Hierarchiam identidem ampliùs suspiciat, plerosque totius orbis Ecclesiasticos Præsules in compendio huc juvat apponere. Ansam ita rem scribendi dedit cum Sociis Hübnerus in suis tomulis de Regibus in lucem editis, in quibus sparsim Ecclesiæ Catholicæ tangit Antistites, eximio sanè Orthodoxorum omnium solatio, quod sui, *ut denuo memorem*, & dictorum suorum crebrò immemor scripserit auctori suo parùm faventia, imò penitus contraria.

Patriarchatus Antiochenus omnium primus & antiquissimus institutus est ab ipso Apostolorum Principe Petro Seculo Christi I. an. 36. Numeravit Patriarcha sua sub potestate præter Sedem suam Patriarchalem per Syriam, Ciliciam, Isauriam, Mesopotamiam, Phæniciam & Arabiæ partem Sedes Metropolitanas 11. cum Episcopis minoribus. - 128.

Patriarchatus Alexandrinus Secul. I. inchoatus est. Patriarcharum omnium primus floruit D. Marcus Evangelista: proximè

ximè secuti sunt DD. Dionysius, Athanasius, Cyrillus &c. Suberant horum potestati Ægyptus & universa Lybia, in quibus numerati sunt Archiepiscopi 10. cum Episcopis minoribus 114.

Episcopatus Hierosolymitanus à S. Jacobo Minore Secul. I. conceptus, Concilii Nicani tempore conversus est in Archiepiscopatum, Primati Cæsareensi in Palæstina subditum. Tandem procurante Justiniano I. Imperatore Hierosolymis Patriarcha institutus per Palæstinam, Phæniciam & Arabiam, numeravit sua sub potestate 6. Archiepiscopos & Episcopos Suffraganeos 100.

Episcopatus Byzantinus in Patriarchatum Constantinopolitanum Seculo IV. conversus, & Seculo VI. tempore Conciliorum I. atque II. Constantinopoli celebratorum confirmatus, per Scythiam Europæam, Græciam Asiaticam item Europæam, atque Pontum universum, sub potestate sua numeravit partim Primates, partim Archiepiscopos cum Episcopis Suffraganeis circiter 512.

Atque hic Status fuit Ecclesiæ veteris per Europam Orientalem & Asiam: uno sub capite membra plurima, veluti ex Conciliis maximè apparuit. *Vide inferius.*

In partibus Meridionalibus Pontifici Romano tanquam Patriarchæ & Primati etiam suberant per universam Italiam, Illyricum, Africam & Hispaniam Archiepiscopi omnino multi: namque Romani Pontificis tanquam *Metropolitæ immediati*, uti dicimus, potestati & jurisdictioni Seculo IV. & V. jure subiciebantur per Latium novum ac vetus, item per Campaniam Romanam, Tusciam, Umbriam, utrumque Picenum, Samnium, Apuliam, Calabriam, Lucaniam &c. Episcopi circiter 80. quorum multi successu temporis in Archiepiscopos sunt conversi adeò, ut præter Romanum Pontificem, & Patriarcham Venetum per universam Italiam & vicinas Italiæ insulas facilè numerati fuerint, & hodie numerentur Archiepiscopi ultra 40. cum Episcopis Suffraganeis circiter 200.

Non minus subdebantur immediata simulque suprema Romani Pontificis potestati Archiepiscopus Mediolanensis, Raven-  
natis, Aquilejensis, Siracusanus & Calaritanus, quibus om-  
nibus subordinati fuerunt Episcopi plures quam 300.

In toto Illyrico Pontifici simulque Patriarchæ Romano post  
Constantini M. fata parebant partim Primates, partim Archie-  
piscopi 16. cum Episcopis facile 100.

In Africa, quam in septem Ecclesiasticas provincias divise-  
runt, omnibus tanquam Primas præerat Episcopus Carthaginen-  
sis: in ipsas verò provincias septem sunt divisi Episcopi omnino  
multi; in provincia nimirum Proconsulari numerati fuerunt ali-  
quando Episcopi.

	105.
In provincia Numidiæ	142.
In provincia Bizacena	128.
In provincia Mauritanie Cæsareensis & Tingitanæ	135.
In provincia Mauritanie Sitifensis	47.
In provincia Tripolitana	12.
In provinciis reliquis numerarunt facile	100.

Atque adeò florente per Africam quondam doctrina Christia-  
na numerati sunt Episcopi minimum 500. in septem classes di-  
stincti ea methodo, ut cuilibet classi suus præsidet Præses, di-  
ctus Senior Episcopus, servata altiori potestate Carthaginensi Pri-  
mati, & altissima Romano Pontifici.

In Hispania duo Primates & plures Archiepiscopi jam secu-  
lis V. VI. & VII. præerant Episcopis 80.

In provincia nimirum Bætica alter sedebat Primas, cui Se-  
des Hispalis; alter verò in provincia Carthaginensi Toleti fige-  
bat Sedem. Archiepiscopi fuerunt Tarraconensis, Lusitanus &  
alii duo in Gallæcia distincti.

In partibus Occidentis Ecclesiæ status sequenti venit ordine.  
In Gallia constituti duo Primates & Archiepiscopi 13.

Primum alter fuit Archiepiscopus Bituricensis in Aquitania; alter Archiepiscopus Arelatensis in regno Arelatensi &c.

Archiepiscopi alii his sunt distincti nominibus: Sextiæ

I. Archiepiscopus Tarentasiensis. II. Narbonensis. III. Narbonensis alter Aquæ Sextiæ Sedem figens. IV. Ebredunensis. V. Burdigalensis. VI. Augustanus Ausciorum. VII. Lngdunensis. VIII. Rothomagensis. IX. Turonensis. X. Senonensis. XI. Visuntinus. XII. Rhemensis. XIII. Trevirensis. Visuntinus tamen & Trevirensis temporis successu inter Germanicos Archiepiscopatus sunt celebrati. Quibus omnibus obedientiam exhibuerunt Episcopi ultra 100.

In Belgio primis post natum Redemptorem Seculis auctoritate Pontificia introducti Episcopatus, conversi demum in Archiepiscopatus 1. Cameracensis cum Suffraganis 4. 2. Mechlinensis cum Suffrag. 6. 3. Ultrajectens. cum Suffrag. 5.

In Magna Britannia simulque Scotia & Hibernia Præmures duo cum Archiepiscopis 6. inter minores Episcopos circiter 60. eminerunt scilicet

I. Primas Britannia Meridionalis dictus est Archiepiscopus Cantionum, seu Dorovernensis, dein verò Cantuariensis.

II. Archiepiscopus Londinensis. III. Carleonensis. IV. Eboracensis. V. S. Andreae. VI. In Scotia Glascensis. VII. In Hibernia Primas Armachanus. VIII. Archiep. Dublinensis & Tuamensis.

Jam verò in Imperio Germanico & vicinis eidem regnis Apostolica auctoritate sunt constituti Archiepiscopi Moguntia, Trevis, Colonia, Laureaci; dein Salisburgi & Visuntii cum Episcopis Suffraganeis talibus ac tantis, ut horum auctoritas & potestas amplissima, Archiepiscoporum multorum potestati æquiparari aut anteferri queat. De Archiepiscopatibus his dictum abundè satis superiùs; id solum non pigebit fortè Lectorem intelligere, quinam Archiepiscopatus & Episcopatus novi antiquis

quis accesserint in Occidentis Imperio & partibus Septentrioni propinquis.

Seculo itaque VII. à D. Benedicto II. Pont. Rom. missum venisse in Franciam Orientalem D. Kilianum cum Sociis Colonato & Theodnano natione Scotis testatur unà cum Historicis Orthodoxis Hübnerus etiam tomul. VII. pag. 155. An verò D. Kilianus unà cum Sociis vocati sint jure Franconiæ Episcopi primi, parùm interest litigare. Legatos venisse Româ Episcopali potestate munitos, abundè certum est Historicis. Post extinctum crudelissima morte Kilianum successit ab Urbe missus D. Bonifacius Moguntiaë Archiepiscopus, author & restaurator simul Episcopatum Seculo VIII. in Francia Orientali & aliis in provinciis plurium.

Eodem Seculo VIII. Caroli M. Imperatoris adjutoriò potentissimo animatos Apostolos, varios annuente Pontifice fundamenta jecisse Episcopatus per universam Saxoniam & confines provincias diversis, nòrunt Authores Orthodoxi & fatentur Heterodoxi. Eisdem inter Apostolos celeberrimum nomen obtinuerunt D. Stephanus Magdeburgensium, D. Wilehadus verò Bremensium Doctores; quibus inter imitatores accesserunt DD. Herimburtus & Wilehadus.

Seculo IX. D. Ludgerus Herimberto ultrò concessit Mindensem Infulam; Nuitgardus Bremæ, Hermarius Paderbornæ, S. Suibertus Verdæ sederunt Episcopi: S. Ansgarius verò Archiepiscopus omnium primus S. Remberto cessit Bremensem simul & Hamburgensem Mitram, ut abire liceret in provincias Septentrioni proximiores, ad lucrandum Deo animas.

Seculo X. Imperatore Ottone M. desiderante, & Joan. XIII. Pontifice concedente, Archiepiscopali Pallio Magdeburgi exornatus D. Adelbertus, partim sibi præmisit, partim post se traxit Episcopos diversos in Borealibus regnis instar clarissimorum Siderum exortos:

Merse-

Merseburgi namque an. 968. præluce cœpit Episcoporum primus B. Boso in S. Emerami monasterio Ratisbonæ celeberrimo quondam Monachus.

Havelbergæ annis prioribus B. Udo primus constitutus est Episcopus.

Lubecæ, Schlesvici & Oldenburgi triplicis instar Episcopi circa idem tempus sedere cœpit B. Marcus, quondam Ottoni I. à consiliis.

Lebusi an. 965. B. Stephanus instituit Episcopatum, creatus ipse Episcoporum ibidem primus.

Naumburgi Episcoporum omnium primus circa annum 966. doctrinam Christianam Explicavit B. Hugo.

Misniæ Episcopus primus eodem ferè cœpit tempore fulgere B. Burchardus ex monasterio S. Emerami Ratisbonæ evocatus.

Brandeburgi eadem ætate B. Dulim primus confirmatus est Episcopus.

Eodem Seculo X. suadente Ottone M. Haraldus VIII. Danorum Rex laudante Pontifice erexit Episcopatum Schlesvicensem in Ducatu ejusdem nominis; Archufiensem & Ripensem in Juthia; Odeenseensem in Fionia.

Seculo XI. an. 1012. adjectus est Episcopatus Roschildensis in Seelandia.

An. 1065. ex liberalitate Suenonis III. Danorum Regis acceperunt novi Episcopatus quatuor, nimirum Lundensis, conversus deinde in Archiepiscopatum in Sconia, in qua simul erectus Dalbyensis, Wiburgensis verò & Alburgensis in Juthia.

In Sueciam Doctore D. Ansgario Christi Dogmata illata jecerunt fundamentum Episcopatibus successu temporis omnino variis, præsertim verò Upsalensi, qui volente Alexandro III. Pont. conversus est an. 1164. in Archiepiscopatum.

In Polonia Archiepiscopatus Gnesnensis & Cracoviensis beneficio Micislai Ducis ad Orthodoxa sacra conversi, sunt erecti  
circa

circa annum 965. consentiente Benedicto VII. Rom. Pont. accessit Archiepiscopatus Leopoliensis in Russia Rubra cum Episcopis Suffraganeis 4. cum prius numerarentur 12. aut plures.

In Bohemia adjectore Boleslao II. Bohemorum Duce Pragæ Episcopatus erectus, Episcopum I. nactus est Dithmarum, alterum verò D. Adelbertum Seculo X.

An. 1343. Joannes Bohemorum Rex, & hujus filius itidem Rex & Imperator ad Clementem VI. Pontificem Avenionem in Galliam profecti, impetrarunt exemptionis privilegium, uti vocamus, adversus Moguntia Archipræsulem; atque adeò Pragæ Archiepiscoporum primus cœpit sedere.

In Hungaria Seculo XI. ex munificentia S. Stephani surrexit Archiepiscopatus Strigoniensis, cui fuerunt subiecti 10. Suffraganei.

Accessit temporis successu Archiepiscopatus Colocensis cum octo Episcopis minoribus.

Omissis multis aliis per orbem univèrsum, jam olim & hodie velut erecto corpore constantibus sibi Archiepiscopatibus, id hoc maximè loco commemoro: nullus Patriarcharum, nullus Primatum, nullus Archiepiscoporum Romano Pontifici, si Constantinopolitanum Seculo VI. primùm & VII. ac unà cum hoc paucos excipias, pertinaciter, vel ut adversarii dicunt, constanter sese opposuit; cujus rei argumento esse potest, quòd ipsimet Scriptores adversarii neminem crebriùs & vehementiùs, & ferè solum nobis Phocam tyrannum opponant: argumenta autem alia & superiùs, & multis aliis in locis proposita rem evincant adeò, ut usque ad Seculum VI. & VII. Romano Pontifici de Primatu litem Episcoporum propemodum nullus intenderit: post Seculum verò VII. fatentibus ipsis & dolentibus, ac vix non ringentibus Heterodoxis, Præsules in orbe Catholico univèrsi, unanimi consensu Romano Pontifici sese subjecerunt usque ad hanc nostram ætatem cum Episcopis Suffraganeis suis, quorum mul-

ta etiam hodie numeramus millia, ut nihil dicam de Præfibus, Abbatibus & Præsidibus aliis vel Clericorum vel Monachorum in tota Hierarchia Ecclesiastica, quod hercle instar perpetui miraculi jure merito admiramur & obstupescimus: non enim nisi divini digiti, aut brachii, seu dexteræ excelsi opus hoc esse censuerunt omnes illi, qui Statum Hierarchicum & Politicum probè sibi perspectos habuerunt: homines quippe suæmet natura liberi, præsertim in sublimiori gradu constituti, abhorrent plurimum à majorum dominorum jugo seu potestate. Reges idcirco etiam constanti didicerunt experientia, nihil difficilius esse, quàm amplissima & spatiosissima regere regna. Id etiam nôrunt omnes, hominum vires longissimè superare & excedere, pluribus Seculis non uni duntaxat, sed plurimis simulque diversis atque divisis populis unum imperare Imperatorem. Quod si igitur Romanus Pontifex imperavit jam per multa Secula Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, verbò, universæ Ecclesiæ per Imperia, Regna & Provincias diversissimas divisæ, hoc si quis *Dexteræ Excelsi* opus esse negaverit, talem ego non sanæ mentis hominem, sed bardum dixerim. Atque hoc ipsum novæ Reflexioni & argumento novo sternit viam ac campum: fit igitur

## REFLEXIO XI.

ARGUMENTVM HISTORICVM VII. MAXL  
ME EX HÜBNERO PRO PRIMATU ROM. PONT.  
SUNT DEXTERÆ EXCELSI OPERA POST  
SECULUM VII. ORBI EXHIBITA.

**R**epeto verba millies repetenda: si Romanus Pontifex imperavit per multa jam Secula Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis &c, verbo universæ Ecclesiæ, per Imperia, Regna & Provincias diversissimas divisæ, hoc si quis



quis *Dextera Excelsi* opus esse negaverit, talem ego non sanæ mentis hominem, sed bardum dixerim. Quin hoc ipsum negari minimè sustinebunt amici Hübneriani, si tomulos sibi admodum pretiosos lustrabunt, in quibus Hübnerus diversis affirmat paginis, non obscuris divinæ potentia signis ac miraculis non minùs post Seculum VII, quàm antea fulsisse, & Episcopatus suos illustrasse Viros Apostolicos nullius alterius, quàm Romani Episcopi Supremæ Potestati subjectos. Quod ne jactantiùs, quàm verius dicere videar, percurramus perfunctoriè tantùm post sextum etiam Seculum Episcoporum aliquot Germanicorum in Divorum Catalogum relatorum, & ab ipso Hübnero laudatorum Seriem. Vide hanc in rem jam enarrata superiùs exempla partim in Serie triplici Archiepiscoporum, partim etiam in Reflexione VII. &c.

Prænotandum hìc, Hübneri tomulos denuo typis impressos, (quod probè nunc primùm adverti,) non constare iisdem paginarum numeris, quibus constant tomuli pridem impressi: hujus proin rei monitum volo Lectorem Benevolum, ne errorem irrepsisse putet, ubi error non est. Cæterùm tamen rei veritatem, & ut ajunt, substantiam, satis indicabunt facta sequentibus numeris contenta.

## SECULO VII.

*Hübner pag. 27. Tom. 8.* S. Rupertus agonis sui præsciis Vates puellam mutam beneficio linguæ donavit. Teneræ atatis prolem vivis restituit. Abbati Baderico post fata jam sua apparuit dicens: quando lucerna mea extinguetur, civitas ista subvertetur.

S. Lambertus Ultrajectensis Episcopus à Dodone Plectrudis pellicis fratre occisus, à Deo mirè vindicatur: ficarii namque mox mortui, Dodo autem toto corpore cœpit putrescere & olerè pessimè, ut hanc ob rem in Mosam fuerit demersus. *Hüb. pag. 872. Tom. VII.*

Pag. 374. tom. VII. S. Toffo Episcopus Augustanus miraculo illustratus est cereo: cereus namque hic ingruente nocte coepit sua sponte ardere, aurora autem superveniente quotidie est extinctus, nulla tamen sui parte diminutus.

Pag. 157. tomul. VII. D. Kilianus à Benedicto II. Pont. missus Franconibus Apostolus, Gosbertum Ducem, adulterum publicum in viam virtutis reduxit. Geylana adultera ob hoc Kiliano irata subornavit sicarios, qui è mediò tollerent virum sibi molestissimum: eosdem verò sicarios omnes evidenti miraculo punivit Deus scelerum vindex.

Pag. 869. tom. VII. Joannes I. Leodiensis Episcopus cognomento Agnus, ob innocentiam suam hoc glorioso nomine appellatus, agros suos ipse coluit, & lucrum exinde collectum in pauperes distribuit: unde vir nec Joanni notus dixit: *labor tuus & elemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Actor. Io, v. 4. eris deinceps Episcopus Ultrajecti.* Comparans itaq; sese asinæ Balaami Joannes recepto baculo suo dixit: *si vera dicis, baculus hic meus fructum feret.* Et continuò floruit virga priùs arida; unde versus:

*Per stimuli florem, tulit agri cultor honorem.*

Pag. 307. tom. VII. S. Amandus Argentoratensis Episcopus Baptismatis flumine abluens Sigebertum Dagoberti I. Francorum Regis filium, audiit ex infantis, non nisi 6. hebdomades nati ore hanc vocem articulatè pronuntiatam: *Amen.*

Pag. eadem. S. Arbogastus S. Amandi Successor Sigebertum Regis Dagoberti filium, in venatione à furioso equo occisum, vitæ beneficio donavit, aliis miraculis etiam clarus.

Pag. 309. eod. tom. D. Florentius Dagoberti I. Regis filiam Rothildin simul cæcam & mutam miraculò docuit loqui & videre,

#### SECULO IX.

Pag. 980. tom. VII. Bertholdus Monasteriensis Episcopus *recitatis novis Lytanis* tumefactarum linguarum malo gravissimo idoneum invenit remedium, postquam Medici de remedio desperarunt,

Pag.

*Pag. 929. & seqq.* D. Ansgarius Archiepiscopus Bremensis doctus & probus, Danorum, Suecorum & Norvvegorum Apostolus, vaticiniis clarus de Christo Evangelium explicavit.

*Pag. 932. & seqq. tom. 8.* S. Rembertus Archiepiscopus Bremensis an. 865, &c vixit miraculis clarissimus: nam Remberti mandato fluctus maris continuo fuerunt sedati. Paralticos obvios sanavit. Energumenos demoniis liberavit. Ipso presente, & nemine manum admovente captivi catenis suis & vinculis fuerunt liberati. Paucis multa comprehendit hoc ejus elogium:

Dat claudis gressum, salvat quoque damone pressum,  
Dum mare perfulcans prece placans æquoris undas,  
Captum solvit equo, reddit sua lumina cæco.

Miraculorum ab eodem patratorum omnium maximum videtur illud, quod vidit villa Nordvvide: nam Normannis eam in villam irrumpentibus, S. Archiepiscopus instar Moysis flexis genibus, & erectis manibus oravit: orante autem ipso pauci illius villæ inquilini Normannorum 1077. occiderunt. Monticulus, cui insistebat Rembertus, ab eo tempore, etiam rigente hyeme servavit flores. Saxum quoque, cui fessas orando manus imposuit Vir Sanctus, digitorum omnium vestigia posteris videnda servavit.

#### SECULUM X.

*Pag. 940. tom. VIII.* Hogerus qualis fuerit Bremæ Archiepiscopus, hic indicat versus.

Sanctus & electus fuit Hoger septimus.

Cadaver ejusdem post 100. annos ex sepulchro non absque prodigio auffugisse creditum est.

*Pag. 941. eod. tom.* B. Unno Archiepiscopus Bremensis Suecorum & Danorum Apostolus ardentissimus, Normannos Ecclesiæ Bremensi flammis subdere non verentes miraculoso vento vidit divinitus fugari.

*Pag. 780. tom. III.* Poppo B. Unnonis in Dania laborum fortius, ut Suen Ottonem Danorum Regem ad Aras Christianas reduceret, rogavit Deum signum miraculosum: persoluta oratione ardentibus induit manicas, & vestem piceam, atque hæc absque ullius membri læsione flammis est consumpta: manus etiam triumpharunt integræ; unde secuta est conversio multorum ad Christum.

*Pag. 378. tom. VII.* D. Udalrico Episcopo Augustano jam an. 910. tum Romæ prædixit præsentis Romanus Pontifex Augustanam Mitram, vaticinio ritè impleto: nam Udalricus an. 923. creatus Augustæ Episcopus miraculis pluribus fuit conspicuus: inter miracula veniunt numeranda victoria mirabilis contra Hunnos reportata, & perpetua Diocesis Augustanæ adversus glires immunitas.

*Pag. 429. tom. VII.* D. Conradus Constantiensis Episcopus Einsidlensem Basilicam consecraturus, duxit secum D. Udalricum, ubi divinitus consecrari vidit eandem Basilicam, voce cœlesti id miraculum omni præsentis populo testante, & D. Episcopum ne iteraret consecrationem, absterrente.

*Pag. 431. tom. VII.* D. Gebhardus Constantiensis Episcopus Romam profectus redux secum retulit caput D. Gregorii Pont. Ad Padum fluvium dum pervenit, vidit undas in utramque ripam effusas: cum nihilominus adversus aquas eundo luctaretur vir Dei, virtute Reliquiarum in partes abiit Padus instar Jordanis, præbens siccum Episcopo transitum.

Idem Gebhardus conditor Monasterii Petershusani brevi moriturus præcepit, ut cadaver suum Petershusii sepulchro conderetur: Constantienses verò cum in æde cathedrali idem corpus sepelire pararent, sandapila loco moveri minimè potuit. At dum Petershusani bajuli feretro humeros supponere cœperunt, idem nullo negotio potuit elevari & portari in locum testamentò præscriptum. Imò cum Monasterio imminerent, columba cœlestis feretro insidere stupentibus cunctis est visa. *Pag.*

*Pag. 420 tom. IV.* D. Adalbertus Romæ confirmatus Pragen-  
fium Episcopus diversis omnino inclaruit miraculis : cùm enim  
auro & argento destitutus nulum non posset solvere iis, qui trans  
fluvium Albim Episcopum navigiò vexerant, coactus est de-  
tractos pedibus calceos avaris concedere. Verùm his, cùm etiam  
doctrinam Evangelicam sprevisent, ita meritò maledixit, ut  
hodie etiam ibidem incolæ cogantur pati defectum panis quoti-  
diani singularem.

Idem & Romæ & in Bohemiâ eodem tempore replicatio-  
tionis beneficio visus est.

Eodem D. Adalberto inter Romanos agente, cùm Strachi-  
quas Bohemorum Ducis frater interea Episcopi munus ambiret  
maximè, & jam instar Episcopi ad aram facere pararet, justo  
Dei iudicio dæmoni est traditus.

SECULUM XI.

*Pag. 670.* D. Conradus Martyr dum à Trevirensibus in Ar-  
chiepiscopi Sedem non admittitur, quin ad explorandam Dei  
ea super re sententiam, iterum iterumque præsentissimæ mortis  
periculo exponitur, inter manifesta miracula vivus servatur diu,  
& denique lethali vulnere è medio sublatus miraculis lucere non  
destitit.

*Pag. 622.* Egelbertus Trevirorum Archipræsul Henricum  
Comitem Limburgensem bonorum Ecclesiasticorum invasorem  
anathemate percussit : at Henricus contempto anathemate in-  
ter cachinnos pronuntiavit : quàm parùm canis hic abstinere ab  
hoc carnis frustillo, tam parùm me Deo privat Ecclesiæ anathe-  
ma. Verùm dum mirantibus cunctis canis carnem fugit, ter-  
ritus Comes à lite & bonorum invasione abstinuit. *Vide hoc Se-  
culo parvata ab Archiepiscopis & Episcopis miracula plura in Serie triplici Archipræsulum,  
& superius in Reflexione.*

SECULUM XII.

*Pag. 493. & 6, tom. VIII.* D. Norbertus ab ipsamet B. Virgine  
specta-

spectabili veste Ordinis sui jam usitata donatus, & à D. Augustino Præsule Regulâ instructus, ac demum apparitione tertia Christi Servatoris nostri confirmatus, instituit Ordinem Præmonstratensem. Totius rei Seriem Hübnerus etiam multis expressit, & tandem clausit his versiculis.

Cruce locus præmonstratur,  
 Ubi struas regiam,  
 Sancta tibi Virgo Mater  
 Vestem præbet niveam,  
 Sanctus Augustinus Pater,  
 Auro scribit Regulam.

Pag. 160. tom. VIII. D. Albertus M. Ratisbonæ Episcopus beneficio B.<sup>mæ</sup> Virginis singulari sui temporis Doctor maximus est effectus. Quinquennio ante obitum omni subito destitutus est doctrina juxta prius jam auditum Magnæ Virginis Oraculum. *Hactenus Hübnerus pene ad verbum. Vide miracula Episcoporum Germanorum alia in Reflexione.*

En! non minus Seculorum sex posteriorum, quam sex priorum multos Archiepiscopos & Episcopos Germanos miraculis, aut certe testimoniis miraculo simillimis clarissimos! quibus testimoniis aut miraculis, ut dicta denuo repetam, illud accessit sane miraculum prorsus mirandum, quod post Phocæ Imperatoris sententiam (fac fingas ita evenisse) Seculis omnibus reliquis Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi omnes Romano Pontifici expeditissimam exhibuerint obedientiam, Romam ipsi bis, ter, quaterve venerint, literas aut Legatos miserint, nunc ut in causis & casibus dubiis consilium seu sententiam audirent; nunc in angustias conjecti ut securum portum attingerent; nunc in Episcopos electi ut confirmationem impetrarent; nunc ut gratias & privilegia alia peterent &c, qualia verba creberrimè repetit Hübnerus in citt. suis tomulis. Igitur D. Petri & Successorum Pontificum Primatum ipsis etiam testibus Lutheranis Scriptoribus  
 cœlum

cœlum luculentis confirmavit testimoniis; igitur Ecclesia Romana nondum aberravit à vero, nondum una eademque sola Superis acceptissima Ecclesia in tenebras sub modium vel scamnum abiit, etiamnum Seculo VII. VIII. IX. X. XI. & XII. lucere visa est super candelabrum; tametsi enim enarrata hæcenus ex Hübnero etiam testimonia non reipsa patrata essent omnia, sed fortè *conficta eorundem multa*, uti loqui Lutheranis vel quibusvis aliis libet, nihilominus *penitus omnia* nemini prudentum possunt esse meritò suspecta: tametsi quoque memorata hæcenus signa *non omnia*, bene tamen *multa*, aut minimùm *nonnulla* in confirmationem Evangelicæ doctrinæ, seu Ecclesiæ etiamnum vivæ & veræ, vigentis & florentis sunt prodita; quod ostenderunt testes optimi miræ multorum conversiones, & id ipsum testatur frequentissimè Hübnerus. Cæterùm meminisse id hoc loco lubeat: quamvis nonnunquam Superi ostenderint signa in rerum eventibus, aut parùm, aut nihil ad Dogmata Fidei pertinentibus, rarò tamen, vel nunquam facilè contigisse, ut vel Apostolorum, vel Doctorum quispiam ullo inclaruerit miraculo, si Romanæ Fidei docuerit contraria Dogmata. Quæ omnia ut pateant ampliùs, sequatur

## REFLEXIO XII.

ARGUMENTVM HISTORICVM VII. EX HÜBNERO, EST DOCTRINA à DOCTORIBUS ROMANIS SECULIS VI, VII, VIII, IX, X. &c  
TRADITA.

**A**llatis jam Reflexionibus & Argumentis multis pro Primatu Romanæ Ecclesiæ accedit argumentum auctori suo rursùm penitus adversum: in tomulis enim suis VII. & VIII. item etiam in illis, quæ comprehendunt Seriem Imperatorum, Regum ac Ducum pluribus quàm 20. paginis testatur, Ediscopos nostros partim scientiis, partim virtutibus conspicuos *predicasse*

H h

me-

memoratis Seculis Verbum Dei: per eosdem promulgatum Evangelium; divina luce illustrata esse regna; dissipatas fuisse tenebras infernales; demonibus bella mota; sublata ignorantiam; idola ritè destructa: domos Dei erectas: conversos ad aras Christianas Reges, Duces &c. Ut verbis his meis, imò Hübnerianis suum pondus non desit, lubeat, obsecro, Lectori tomulos Hübneri gnaviter volvere & excutere. At enim, ne lector volutandis tomulis Hübnerianis tempus cogatur terere, ex multis paginis, huc obvias juvat adponere, & Lectori velut digito monstrare.

In tomul. I. de Carolo M. Ludovico Pio, Henrico Aucupe, Ottone M. & Successoribus, ubi de conversione gentium, paginae occurrent legenti variae.

Pag. 768. tomul. 3. in editione priori ita habet: Haraldus VI. Danorum Rex celebrem illum Ansgarium Corvejensem Abbatem in Daniam vocavit Apostolum, qui omnium primus ibidem NB. Evangelium explanavit.

Eodem tom. pag. 899. & seqq. De Suecorum Regibus Christianis eadem ferè verba repetit.

Tom. IV. pag. 41. Boleslaum II. Bohemorum Ducem hoc per brevi laudat compendio: tantis encomiis laudatus est hic Dux, ut passim ab Historicis dictus fuerit propagator NB. Christianae Fidei, pater pupillarum, protector viduarum, & consolator pauperum. Hic an. 968. fundum dedit pragensi Episcopatu &c.

Pag. 466. tom. IV. Affirmat Micislaum I. Polonorum Ducem caecum natum, sed oculorum beneficio per miraculum prosperè donatum & Christianum factum, pari propemodum miraculo connubium impetrasse non amplius sterile, ductâ in thalamum Dambravvka Boleslai I. Bohemorum Ducis filiâ Christianâ, postquam ex septem conjugibus necdum Christianis nullam suscepisset prolem. Inde evenisse, ut Seculo X. per Poloniam universam NB. Religio Christiana fuerit continuò promulgata. Addit Hübnerus, eundem Polonorum Ducem à Benedicto VII. Pont. petisse Regis nomen.

Pag. 756. tom. IV. Geyfa Hungarorum Dux ducta in thalamum prin-



principe loco nata foemina Christiana coepit amplecti NB. *Fidem Christianam*: anno namque 989. Sacro Baptismate ablutus, anno autem 999. *in Religione NB. Vera est* mortuus. Similia aut majora sunt, quae sequentibus paginis recenset de B. Stephano.

*Pag. 519. tom. VI.* In Historia Pomeraniae ita habet: cum Carolus M. Saxones expugnasset, post Christianam Fidem ipsis publicatam, NB. *lux Evangelii Venedorum etiam finibus illuxit.*

*Pag. 142. tom. VII.* D. Otto Bambergae quondam Episcopus an. 1124. in Pomeraniam profectus est, ut NB. *Christo lucraretur infideles*, quod inter difficultates maximas adeo praestitit, ut Julini Episcopatum erexerit, & Pomeraniorum deinceps *Apostolus* dici sit promeritus. Haec exempli causa duntaxat dicta Lector existimet; plura enim his simillima capita desideranti Lectori se ultro offerent, ex quibus eam colliget sequelam, *Evangelii lucem* profecto etiam ex Lutheranorum mente ad Seculum XII usque saltem fulsisse & radios suos quaqua versus emisisse, quod ipsum tamen obfirmato animo alias negant & pernegant iidem Lutherani.

## REFLEXIO XIII.

ARGUMENTVM HISTORICVM IX. EX HÜBNERO PRO PRIMATU ROM. PONT. SUNT VIRTUTES INSIGNES ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM GERMANORUM NON NISI ROMÆ SUBEDITORUM.

**H**Actenus consideravimus doctrinam maximè & miracula, non pauca; nunc verò considerabimus in synopsi plurimorum Archiepiscoporum & Episcoporum virtutes eximias & gesta clarissima. Hac autem in consideratione observabimus neutiquam illam, quam nobis reliquerunt Authores Orthodoxi scribendi methodum; potiùs eam Lectori perpendendam

dam dabimus, quam suggesserunt Scriptores Heterodoxi: si enim adversariorum etiam testimonio Antistitum nostrorum virtutes & acta probari viderimus, novum nobis denuo suppetit argumentum ab hoste datum. Volvamus itaque rursus Hübneri tomulos VII. & VIII. omnium nimirum per universum Romanum Imperium Archiepiscoporum & Episcoporum quondam compendia; ponantur omnium numeri aut sumaria, ut inde fluat desiderata sequela & conclusio.

I. Moguntia numeravit partim Episcopos partim Archiepiscopos per 17. Secula. 107.	XXIII. Ultrajectum	61.
II. Treviri - 111.	XXIV. Monasterium	60.
III. Colonia - 87.	XXV. Osnabruga	59.
IV. Laureac. & Salisbur. 84.	XXVI. Minda	59.
V. Visuntium - 90.	XXVII. Passavium	76.
VI. Bamberga - 55.	XXVIII. Frisinga	57.
VII. Herbipolis - 74.	XXIX. Ratisbona	64.
VIII. Eustadium - 63.	XXX. Brixinum	87.
IX. Wormatia - 69.	XXXI. Tridentum	106.
X. Spira - 75.	XXXII. Gurcum	40.
XI. Argentoratum 86.	XXXIII. Chiemsea	36.
XII. Augusta - 65.	XXXIV. Secovium	39.
XIII. Constantia - 86.	XXXV. Lavantum	30.
XIV. Curia - 86.	XXXVI. Basilea	69.
XV. Hildesia - 55.	XXXVII. Laufanna	41.
XVI. Paderborna - 49.	XXXVIII. Magdeb.	42.
XVII. Halberstadium 48.	XXXIX. Merseburg.	45.
XVIII. Verda - 55.	XL. Naumburgum	40.
XIX. Meta - 80.	XLI. Misnia -	44.
XX. Tullum - 76.	XLII. Brandenburgum	42.
XXI. Verdunum - 84.	XLIII. Havelberga	39.
XXII. Leodium - 64.	XLIV. Brema -	42.

XLV.

XLV. Lubeca	33.	XLVIII. Schvverinum	34.
XLVI. Schlefvica	35.	XLIX. Lebusium	30.
XLVII. Razeburgum	30.	L. Caminum	25.

Atque hic ipsissimus est expressus ab Hübnero Archiepiscoporum simulque Episcoporum per Germanicum Imperium numerus, cui addidère Authores Orthodoxi plures, eo tamen augmento non magno, ut singuli conficere possint circiter 3000.

Jam verò in tanto Præsulum numero, Hübnerus ipse duodecim post Christi natales seculis, Episcoporum simulque Archiepiscoporum plerosque usque adeò laudibus extulit, ut vix singuli denariorum numeri unum numerent non magis laudatum, quam vituperatum, cæteris omnibus maximè laudatis.

Feliciores profectò dixerim nostros Antistites, quam fuerunt suo tempore Apostolorum & Episcoporum primi, quorum Collegio non numeroso Iscariotes grandem inussit notam, dum Episcopatum ejus accepit alter tanto munere dignior, dignissimus Mathias.

Encomiorum verò per utrumque tomulum sparforum hocce est ferme compendium. Archiepiscoporum & Episcoporum plurimi laudantur à doctrina, prudentia, morum probitate virtutumque aliarum selectissimarum pretio, quales sunt oratio, in adversis patientia & constantia, divitiarum contemptus, humanitas, humilitas, liberalitas, vigilantia, zelus animarum, cura Ecclesiæ, concordia, pax, justitia &c.

Virtutes alias perfunctoriè tantùm tetigit Hübnerus, fortassis eam ob causam, ne videretur laudare, quod non delectat imitari plurimos. Dabunt virtutes illas Reflexiones & argumenta, ubi de cœlibatu Clericorum occurret locus. Atque is ipse ut occurrat brevè, sit

## REFLEXIO XIV.

ARGVMENTVM HISTORICVM X. EX HÜBNERO PRO PRIMATU ROM. ECCLESIAE, EST INSIGNIS NOBILITAS ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM, PRÆSERTIM GERMANICORUM.

**Q**uamvis ornatus regius, antiquissimæ ceræ nobilium & generis splendor, vel fundandæ, vel exornandæ Ecclesiæ ex se minùs sint utiles aut necessarii, quàm virtutù splendor; cùm nihilominus ipsiusmet Summi Sacerdotis Historiographus Matthæus & Lucas antiquissimam juxtà ac nobilissimam nati Servatoris nostri Genealogiam nobis legendam in Sacro Codice reliquerint, inde documenta capimus, ingens accessisse decus, & accedere hodie Ecclesiæ Romanæ, si & ipsa splenderit & splendeat in Episcopis & Sacerdotibus non minùs antiquæ prosapiæ, quàm virtutum ornamentò clarissimis. Quemadmodum nimirum pulchrior in pulchro corpore virtus venit, & ab iis magni æstimatur etiam, qui virtutibus suòmet vitio & voluntate carent, ita Ecclesia in Viris Illustribus splendet magis, atque in sui admirationem rapit eos etiam, qui cæteroquin fugiunt Aras Orthodoxas. Ita rem habere quotidiana docet experientia, & pridem docuit Historia à Scriptoribus etiam Heterodoxis conscripta & laudata. Omnium loco testis sit Hübnerus nobis: qui in citt. tomulis sedulò curavit plurimorum Archiepiscoporum & Episcoporum natales nobilissimos unà cum virtutibus eorundem ita conjungere & extollere, ut illud miratus sim ante alia, quòd Scriptor Religione ab his Præsulis longissimè diversus non rapiatur in amorem ardentissimum, quo accensus statuat quamprimum novis Lutheri, vel si mavis, antiquis sed simul erroneis placitis nuntium remittere, ut absque mora sanguine simul & virtutibus nobilissimis

Episco-

Episcopis propiùs liceat accedere , simulque aras & focos jun- gere. Omitto hoc loco Præsulum ex Illustrissimo Comitum, Baronum & aliorum Nobilium stemmate prognatorum præclara nomina , quæ profectò in superiùs relato ter milleno numero sunt plurima. Solùm hic est animus summorum in Imperio Principum , Regum & ferè Ducum filios , fratres & nepotes complures memorare , ut inde Lector , quod lubet , aut sanæ rationi licet , statuatur.

EX IMPERATORIA, REGIA, ARCHIDVICALI,  
DUCALI ET PRINCIPE FAMILIA ARCHIE-  
PISCOPI ET EPISCOPI

**S** Quirinus Imperatoris Philippi cognomento Arabis in Pan- nonia, seu Hungaria nati, natus & ipse filius creatus est Lau- reacæ Seculo III. Episcopus, dum vel simul, vel antea fuit Illyricorum & Hungarorum Apostolus , & tandem Martyr in- signis , cujus Reliquiæ sacræ in Monasterio Tegernsee quiescere creduntur.

Rupertus Rudolphi II. Burgundorum Regis filius , Divæ Adelhaidis Imperatricis frater Archiepiscopus Trevirensis Se- culo X.

Bruno Ottonis M. Cæsaris ex Luitgarde filia, conjuge Con- radi Lotharingiæ, aut veriùs Francorum Ducis nepos, primò Ver- densis Episcopus, promeritus est eligi in Romanum Pontificem, dictum Gregorium V. principem authorem Electoratûs in Im- perio Germanico. *Vid, secul. X.*

EX FAMILIA AUSTRIACA.

Conradus II. Archiepiscopus Salisburgensis Leopoldi Sancti Austriæ Marchionis filius maximè laudatus , & Alexandro III. Pontifici Romano pretiosissimus, quoniam in adversis fuit con- stantissimus Secul XII.

Otto

Otto Frisingensis Conradi Archiepiscopi Salisburgensis frater germanus, Episcopus Frisingensis, de quo hunc in modum scripsit Card. Bellarminus: *Leopoldi Sancti Austriae Archiducis pius filius, quinque Archi-Ducum frater Otto Frisingensis Episcopus, insigni nobilitate, pietate & doctrina: fuit enim Henrici IV. Imperatoris nepos, Henrici V. Imperatoris sororius, Conradi III. Imp. frater Vterinus, Frederici Imperatoris patruus & hujus Historiographus Author clarissimus, qui libros VII. Chronicorum scripsit ab orbe condito usque ad annum Christi 1146, quibus addidit VIII. librum permagnum de fine mundi, de Anti-Christi persecutione, de resurrectione mortuorum, de judicio finali, de gloria Beatorum, de suppliciiis damnatorum: scripsit praeterea libros duos de gestis Frederici I. Imperatoris &c. Tandem in ipso suo Monasterio Cisterciensi, in quo Abbas quondam praerat, animam Deo reddidit an. 1159. Romano Pontifici in cunctis obedientissimus, revocans in mortis articulo, si quicquam dixisset aut scripsisset, quod fidei Christianae contrarium videri posset.*

Poppo Leopoldi cognomento Illustris Austriae Marchionis filius Elector & Archiepiscopus Trevirensis Secul. XI.

Rudolphus II. sanguinis propinquitate Rudolpho Habsburgico conjunctus Constantiae Episcopus Secul. XIII.

Andreas Ferdinandi Archiducis filius Maximiliani II. Caesaris nepos Episcopus simul Constantiensis & Brixinensis Romae an. 1600. in brachiis Clementis VIII. Pontificis mortuus.

Carolus Ferdinandi II. Caesaris frater Episcopus Breslaviensis, Brixinensis & simul Magister Ord. Teuton. mortuus an. 1624.

Leopoldus Ferdinandi II. frater Episcopus Argentoratensis & Passaviensis an. 1626. mort.

Leopoldus Wilhelmus Ferdinandi II. Imperatoris filius, Episcopus Passaviensis, Argentoratensis, Breslaviensis & Olmuzensis an. 1662. mortuus.

Sigismundus Franciscus Leopoldi V. Archiducis filius Episcopus Augustanus simul & Tridentinus an. 1665. mortuus.

#### EX DOMO BAVARICA.

Gerbaldus Dux Bavariae Episcopus Leodiensis Secul. VIII.

Chrodogandus Dux Bavariae Thassilonis III. frater Episcopus Metensis Secul. VIII. Bruno

Bruno S. Henrici Imperatoris frater Episcopus Augustanus  
Secul. XI.

Theodvinus Dux Bavarie Episcopus Leodiensis Secul. XI.

Conradus III. Archiepiscopus Salisburgensis Ottonis V. Bavarie Ducis ex stemmate Wittelspachio frater; idem electus est Moguntie Elector Secul. XII.

Joannes VI. Alberti I. filius, Ludovici Bavari Imperatoris nepos, Episcopus Leodiensis Secul. XIV.

Ernestus Alberti IV. filius Archiepiscopus Salisburgensis Archiepiscopatus Secul. XVI. an. 1560. nuntium remisit, ut solitudini & librorum lectioni sese totum impenderet.

Philippus Dux Bavarie Maximiliani I. Electoris frater, Episcopus Ratisbonensis, & S. R. E. Card. in juventute mortuus an. 1598.

Ernestus Alberti V. Ducis filius, Elector Coloniae, Episcopus Frisingensis, Hildesienensis & Leodiensis an. 1612. defunctus.

Ferdinandus Maximiliani I. Electoris frater, Elector Coloniensis, Episcopus Leodiensis, Monasteriensis & Paderbornensis an. 1650. mort.

Albertus Sigismundus Ducis Alberti simulque Comitis Leuchtenbergici filius, Episcopus Frisingensis & Ratisbonensis an. 1685. mort.

Maximilianus Henricus Elector Coloniensis & Episcopus Leodiensis, Maximiliani I. Electoris ex filio Alberto VI. nepos, Alberti Sigismundi Episcopi Frisingensis frater an. 1688. mort.

Josephus Clemens Maximiliani II. Electoris frater, Elector Coloniae, Episcopus Monasteriensis, Leodiensis, Frisingensis & Ratisbonensis an. 1723. Mort.

Clemens Augustus Maximiliani II. Electoris filius, Elector Coloniensis & Episcopus Monasteriensis, Paderbornensis & Hildesienensis vivus.

Joannes Theodorus Maximiliani II. Electoris filius Episcopus Ratisbonensis & Coadjutor Episcopi Frisingensis vivus.

## EX DOMO PALATINA.

Hermannus II. Henrici de Lacu Electoris Palatini frater, Elector Coloniae Secul. XI.

Eberhardus Hezilonis Comitis Palatini filius, Elector Trevirensis Secul. XI.

Theodoricus II. D. Cunegundis Imperatricis frater, Episcopus Metensis Secul. XI.

Aribo (aliis Erbo dictus) Comes Palatinus & Archiepiscopus Moguntiae Secul. XI.

Rupertus Stephani Ducis filius, Ruperti Caesaris abnepos, Episcopus Argentoratensis Secul. XV.

Albertus Ruperti Caesaris ex filio Ottone nepos, Episcopus Argentoratensis Secul. XV.

Rupertus Friderici Victoriosi Electoris frater, Elector Coloniensis Secul. XV.

Rupertus Ottonis Ducis Palatini filius, Alberti Episcopi Argentoratensis frater, Episcopus Ratisbonensis Secul. XV.

Joannes Comes Palatinus Bipontinus Archiepiscopus Magdeburgicus simul & Episcopus Monasteriensis Secul. XV.

Joannes Philippi Ingenui Electoris filius Episcopus Ratisbonensis, trium Episcoporum frater, nimirum Philippi Episcopi Frisingensis simul & Naumburgensis, Georgii Episcopi Spirensis, & Henrici Episcopi Wormatiensis Secul. XVI.

Henricus II. Philippi Electoris filius, Episcopus simul Wormatiensis, Ultrajectensis & Frisingensis Secul. XVI.

Rupertus II. Friderici Comitis Palatini Simmerensis filius, Episcopus Ratisbonensis ad initium Secul. XVI.

Ludovicus Antonius Caroli Electoris frater, Coadjutor Moguntinus, Episcopus Wormatiensis simul & Leodiensis an. 1694. mort. Ale-



Alexander Sigismundus Caroli Electoris frater, Episcopus Augustanus ab an. 1690. usque hodie.

Franciscus Ludovicus Caroli Electoris frater, Elector Tre- virensis, Episcopus Wormatiæ, Uratislaviæ, Magister Teut. Ord. Præpositus Elvacensis & Coadjutor Moguntia.

EX FAMILIA SAXONICA.

Heraclius Leodiensis Episcopus Secul. X.

Wilhelmus Ottonis M. filius, Archiepiscopus Moguntinus Secul. X.

Gero Marchio Lusatia ex stemmate Saxonico, Archiepi- scopus Colonia Secul. X.

Albertus I. Archiepiscopus Bremensis simulque Episcopus Hamburgensis Secul. XI.

Albertus Alberti II. Electoris ex stemmate Ascanio filius, Episcopus Passaviensis, Secul. XIV.

Sigismundus natus Marchio Misnia, Electoris Friderici cog- nomento Bellicosi frater, Episcopus Herbipolensis Secul. XV.

Ernestus Ernesti Electoris filius, Archiepiscopus Magdeburgi- cus & Episcopus Halberstadiensis Secul. XV. & XVI.

Magnus Saxo-Lauenburgicus, Episcopus Hildesienensis simul & Caminus Secul. XV.

Joannes IV. Saxo-Lauenburgicus, Episcopus Hildesienensis Secul. XVI.

Ericus Saxo-Lauenburgicus, Episcopus Hildesienensis simul & Monasterienensis Secul. XVI.

Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Christianus Augustus Strigonii Archiepiscopus, Protector Nationis Germanica, Su- premus Secretarius & Cancellarius regni Hungaria, Legatus Se- dis Apostolicae &c vivus.

## EX FAMILIA BRANDEBURGICA.

Sigfridus Marchio Brandeburgicus, Archiepiscopus Bremensis & Episcopus Brandeburgicus Secul. XII.

Ericus Marchio Brandeburgicus, Archiepiscopus Magdeburgensis Secul. XIII.

Rudolphus Onolspacensis, Episcopus Halberstadiensis Secul. XIV.

Henricus II. Onolspacensis, Episcopus Halberstadiensis Secul. XVI.

Joannes Albertus Friderici Senioris Onolspacensis filius, Episcopus Halberstadiensis ad initium Seculi XVI.

Albertus IV. Electoris Brandeburgici filius, Archiepiscopus Moguntinus simul & Magdeburgicus, nec non Administrator Halberstadiensis, & S. R. E. Cardinalis an. 1545. mortuus.

Fridericus IV. Joachimi II. Electoris filius Archiepiscopus simul & Episcopus Halberstadiensis Secul. XVI.

## EX FAMILIA BRUNSUICENSI.

Otto I. Ducis Alberti M. filius, Episcopus Hildesienfis Secul. XIII.

Henricus III. Ducis Alberti cognomento Pinguis filius, Episcopus Hildesienfis Secul. XIV.

Conradus I. Ottonis, cui Pueri cognomen, Ducis filius, Episcopus Verdenfis Secul. XIV.

Otto II. Ducis Magni Torquati filius, Bremensis Archiepiscopus Secul. XV.

Albertus II. Ducis dicti Pii filius, Magni Torquati frater, Archiepiscopus Bremensis Secul. XVI.

Christophorus Henrici Senioris filius, Henrici Junioris frater, Bremensis Archiepiscopus Secul. XVI.

SE.

SEQUUNTUR ALIORUM DUCUM FAMILIÆ ORDINE ALPHABETI.

DUCES BEREGENSES SEU MONTIUM.

Rupertus & Wilhelmus Episcopi Paderbornenses Secul. XIV.

DUCES CARINTHIÆ.

S. Bruno Conradi Carinthiæ Ducis filius, Episcopus Herbpolenfis Seculo XI.

Hartvvicus Engelberti Ducis Carinthiæ filius, Episcopus Ratisbonensis Secul. XII.

DUCES LOTHARINGIÆ.

Fridericus Giselberti Ducis Lotharingi frater, Moguntinus Archiepiscopus Secul. X.

Adalbero I. Friderici Lotharingiæ Ducis frater, Metensis Episcopus Secul. X.

Adalbero II. Friderici ejusdem Ducis filius, Episcopus Metensis Secul. X.

Theodoricus IV. Matthæi Lotharingorum Ducis filius, Episcopus Metensis Secul. XII.

Henricus I. Theodorici Loth. Ducis filius, Episcopus Tullensis Secul. XII.

Matthæus Matthæi Ducis Loth. filius, Tullensis Episcopus Secul. XII.

Joannes II. Lotharingiæ Dux ex Linea Sircensi, Episcopus Ultrajectensis Secul. XIII.

Carolus Loth. Dux, Episcopus Metensis, Argentoratensis & S. R. E. Cardinalis Secul. XVI.

Ludovicus IV. Renati Lotharingiæ Ducis filius, Episcopus Secul. XVI.

Joannes VII. frater germanus Ludovici IV. Episcopus Verdunensis eod. Secul.

Carolus Josephus haud ita pridem magno bonorum omnium dolore mortuus.

DUCES MERANIÆ.

Poppo I. Bertholdi IV. Ducis frater, Episcopus Bambergensis Secul. XII.

Erimbertus Bertholdi IV. Ducis Merani filius, Episcopus Bambergensis Secul. XIII.

Poppo II. Ottonis M. Ducis filius, Episcopus Bambergensis Secul. XIII.

DUCES, AUT SALTEM COMITES ANTIQUISSIMI EX WÜRTEMBERGICORUM DUCUM STEM-  
MATE NATI.

Bruno, electus Pontifex Romanus, & dictus S. Leo IX. Secul. XI.

Gebhardus Episcopus Eustadianus electus Pont. Rom. dictus Victor II. Secul. XI.

DUCES ZERINGENSES.

Gebhardus & Otto II. Episcopi Constantienses Secul. XII.

Rudolphus Episcopus Leodiensis, Secul. XII.

FAMILIÆ IN IMPERIO PRINCIPES RELI-  
QUÆ ORD. ALPHABETI.

EX FAMILIA MARCHIONUM BADENSIIUM.

Georgius Marchio Badensis Episcopus Metensis Secul. XV.

Joannes II. Elector Trevirensis Secul. XV.

Jacobus II. Elector Trevirensis Successor Joannis Secul. XVI.

Fridericus Episcopus Ultrajectensis, Secul. XVI.

Gustavus Adolphus Princeps Abbas Fuldensis, Campidunensis, & tandem S. R. E. Card.

EX FAMILIA PRINCIPUM FÜRSTENBERGICORUM.

Conradus Egonis IX. Auracensis Comitis filius S. R. E., Card. Secul. XIII. Geb-

Gebhardus Egonis X. cognomento Barbati Comitis Fri-  
burgensis & Brisacensis filius, Episcopus Spirensis Seculo XIII.

Franciscus Egon, Egonis ex Linea Heiligenbergica filius  
Friderici nepos, Episcopus Argentoratensis Seculo XVII.

Wilhelmus Egon Francisci Egonis frater, Episcopus Argen-  
toratensis, S. R. E. Card. & Coadjutor Moguntinus.

EX FAMILIA PRINCIPUM HOHENZOLLRANORUM.

Fridericus I. Eitel-Friderici II. filius, Episcopus Constantien-  
sis Secul. XIII.

Fridericus III. cognomento Æpplin, Friderici VI. seu Nigri  
filius, Episcopus Constant. Secul. XV.

Fridericus inter Episcopos hujus nominis Augustæ III. ad ini-  
tium Seculi XVI. Episcopus Augustanus.

EX FAMILIA PRINCIPUM NASSOVIÆ.

Hazego Nassovius, Wormatiensis Episcopus Secul. XI.

Gerlachus Nassovia Comes, Elector Moguntinus Secul. XIV.

Adolphus Nassovius, Elector Moguntinus Secul. XIV.

Joannes Nassovius, Elector Moguntinus Secul. XV.

EX FAMILIA PRINCIPUM ET COMITUM OETIN-  
GANORUM.

D. Notgerus Episcopus Leodiensis Secul. X.

Fridericus Episcopus Eustadianus Secul. XV.

EX FAMILIA PRINCIPUM SCHWARZENBURGI-  
CORUM.

Gerhardus Episcopus Herbipolensis & Naumburgensis  
Secul. XV.

Güntherus Archiepiscopus Magdeburgicus Secul. XV.

Henricus Archiepiscopus Bremensis Secul. XV.

Ha-

Haftenus de solis Archiepiscopis & Episcopis ex multorum Virorum Principum in Romano Imperio profapia prognatis catalogus perfunctoriâ operâ est collectus: moliminis namque magni opus non foret, multò plures quamprimum invenire, si quærendi animus non deesset. Profectò properè percurrenti Genealogicas Virorum in Imperio tabulas occurrunt passim præter nonnullos Romanos Pontifices, Archiepiscopi, Episcopi, & Principes Abbates magno numero. Quodsi jam addere luberet ingentem numerum Illustrissimorum Comitum & Baronum in solo Romano Imperio enatorum, quos vel in Archipræsules, vel quoscunque alios Ecclesiæ Præsules lapsis Seculis multis elegerunt: quodsi etiam volupe esset huc adducere generis splendore nobilissimos Antistites quosvis, qui floruerunt in Italia, Hispania, Gallia, Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, Suecia, Polonia, Bohemia, Hungaria, & demum in Asia, Africa & America, tunc enimvero in admirationem sui raperet æquissimè Lectorem decus clarissimum & splendor lucidissimus, quem natalium nobilitas virtuti conjuncta generavit Romanæ Ecclesiæ. Nemini certè, nisi fortè obscurissimis faunis, potuit unquam displicere & ingens virtutis pretium, & nobilitatis decus eximium. Utrumque ardentissimè amari, utrumque maximi æstimari à se, fatetur Germanus, Angelus, Danus, Suecus &c, tametsi à Romano Dogmate sit alienissimus: iidem verò omnes virtutem simulque nobilitatem elegantiori & firmiori vinculo conjunctam nullibi in terrarum orbe citiùs invenient, quàm in Germana, Hispana, Gallicana &c, quæ omnes sunt Romanæ, atque adeò omnes una Ecclesiæ nobilissima.

RE.

## REFLEXIO XV.

DE CÆLIBATV ARCHIEPISCOPORVM, EPI-  
SCOPORVM &c, PRÆERTIM GER-  
MANORVM.

## §. I.

**C**um de Archiepiscoporum, Episcoporum & Clericorum virtutibus ac dotibus præclaris multa hæcenus dixerimus, non oportet omittere multa, quæ de eorundem *Calibatu* dici poterunt. Mirè studuit Hübnerus eorum solerter neminisse Episcoporum, quos matrimonii vinculo ligatos fuisse vel verè existimat, vel vana suspicione permotus temere affirmat. Veritati testis sit Hübnerianus calamus, qui tom. VII. pag. 875. Floribertum Leodiensem Episcopum S. Huberti Successorem his paucis depinxit lineis: *fuit Floribertus filius Huberti, qualem filium alii dicunt spiritualem, alii naturalem.*

Tomul. VII. pag. 17. in Moguntina Histor. de Gervilione Archiepiscopo ita habet: *Gervilio legitimus Geroldi Archiepiscopi Moguntini & Antecessoris sui filius mortem parentis sui tanto desiderio ulcisci statuit, ut ipsemet adversus Saxones hostes in aciem descenderit.*

Eod. tomul. in Curiensium Episcoporum Serie hunc in modum scribit pag. 465. *Paschalis Episcopus natus est Brigantii Comes: conjux hujus Esopeja nomine pariter è Comitum genere descendit. Inveniuntur antiquissimæ epistolæ, quibus etiam suum subscripsit nomen, & sese dixit Antistitam. Ex quo colligimus etiam Seculo VIII. Episcopos vixisse, qui D. Pauli monitum secuti, unam duxerunt uxorem. Mox ita sequuntur alia:*

*Victor I. (Episcopus Curiensis) legitimus antecessoris sui filius sepultus est una cum parentibus suis in Virginum monasterio Cazenfi.*

Eod. tom. VII. pag. 837. & seqq. commendat Gebhardum Electorem Coloniensem, quod Agnetem Comitem Mansfeldianam uxorem duxerit, & nihilominus Coloniensem Ecclesiam sibi servare laborarit geminæ sponsæ dissimillimæ unus sponsus.

Locis aliis pluribus affirmat, nullo autem argumento confirmat, Clericis licitum fuisse celebrare nuptias.

## §. II.

Antequam his infirmis satisfiat narratiunculis, argumenta pro Archiepiscoporum, Episcoporum, & quod sequitur, Clericorum omnium in Romana Ecclesia à Seculo I. usque ad hoc nostrum XVIII. Cælibatu constanti ac perpetuo iuvat præmittere: hoc enim modo contraria juxta se posita elucescent magis.

## ARGUMENTUM I.

Votò perpetuam Castitatem Deo promittentium valor omni tempore in Romana Ecclesia fuit maximus, eò quòd ab eisdem Ecclesiæ exordio exempla ad sui imitationem plurimos rapuerint validissimè. De exemplis Christi Servatoris nostri, eisdem magnæ Matris, simul & Apostolorum, præsertim D. Pauli, in Apostolatu non nubentium abundè constat omnibus. Verba Christi sunt Matth. 19. v. 10. 11. *Dicunt discipuli ejus: si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. v. 12. Sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum. Luc. 14. v. 26. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem & NB. uxorem, & filios, & fratres, adhuc autem animam suam, non potest meus esse discipulus. Matth. 19. v. 21. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni sequere me. Ibidem v. 28. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Ibid. v. 29. Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut NB. uxorem &c, centuplum accipiet.*

Verba Magnæ Virginis & Matris Lucas 1. cap. habet v. 34. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Paulus 1. Corinth. c. 7. à versu 25. ferè per totum caput reliquum ita differuit: *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do. v. 38. clarissimè profertur: igitur & qui matrimonio jungit Virginem suam, bene facit, & qui non jungit*



*jungit, melius facit. Et demum in fine capituli: beatorum autem erit si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem, quod & ego spiritum Dei habeam.*

His clarissimis exemplis & verbis divinissimis perluaſa firmissimè Ecclesia Romana, constanter tenuit, insistendum esse vestigiis castissimis Christi, Deiparæ & Apostolorum iis universis ac singulis, qui sponte sua eligunt statum Ecclesiasticum.

ARGUMENTUM II.

Quanto authoritatis robore præter allatos ex S. Codice textus nos Catholici contra quosvis Virginitatis hostes instructi sumus, lubeat ex Conciliis etiam intelligere:

Concilium itaque *Nicanum* I. Seculo IV. tempore D. Sylvestri celebratum Can. 3. prohibuit Episcopis, Presbyteris & Diaconis domi alere fœminam præter *matrem, sororem, amitam,*

Concilium *Romanum* sub eodem D. Sylvestro Pont. congregatum prorsus idem statuit. His accesserunt Concilia per orbem fere universum habita; nimirum

Concilium *Ancyranum* ante XIII. Secula jam in Galatia collectum Can. 10. dicit, Diaconos, qui in ipsa ordinatione non protestantur, se velle uxorem habere, non posse post ordinationem eam ducere: si autem protestentur, posse ducere, quia tunc censetur Episcopus cum eis dispensasse.

Concilium *Neocæsariense*; paulò post *Ancyranum* in Cappodocia indictum Can. 1. inquit: *presbyter, si uxorem duxerit, ordine suo moveatur,*

Concilium *Carthaginense* II. an. 390. celebratum Can. 2. sic statuit: *omnibus placet, ut Episcopi, presbyteri, vel Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitia custodes etiam ab uxore se abſtineant, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.*

Concilium *Elibertinum* Seculo IV. circa annum 370. congregatum Can. 33. decrevit hunc in modum: *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis ac Subdiaconis, abſtinere se à conjugibus, & non generare filios. Similia habent Concilium Toletanum II. IV. & VII.*

Concilium Arelatense Seculo V. institutum Can. 2. cavet, *ne ullus conjugatus ad Sacerdotium assumatur, nisi continentiam ab uxore promiserit.* Prorsus similia statuerunt Concilia Turonense I. & II, Agathense & Aurelianense, cujus ultimi Can. 3. verba leges: *ut nullus Clericorum à Subdiacono & supra, propria, si fortè jam habeat, miscetur uxori.*

En Concilia Asiæ, Africæ, & maximæ partis in Europa, nimirum Italiæ, Hispaniæ, Galliæ & nostræ Germaniæ: id ipsum namque statuerunt, & pridem statutum esse agnoverunt Concilia Germanica Aquisgrani, Wormatiæ & Moguntiæ Seculo VIII. & IX. habita. Sanè Concilium Wormatiense ferè repetiit verba Concilii Elibertini: Can. enim 9. hoc modo decrevit: *placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi abstineant se ab uxoribus, & non generent filios.*

### ARGUMENTUM III.

Conciliorum Testimoniis jungo antiquissimorum Pontificum Decreta:

D. Clemens enim Seculi I. quartus Ordine Pontifex Can. 27. hæc habet: *Innuptis autem, qui ad Clerum provelti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant, sed lectores cantoresque tantummodo.*

D. Calixtus Seculi III. Pontifex secundus Dist. 27. apud Gratianum Canone Presbyteris hæc præcepit: *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis & Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere, penitus interdiximus.*

D. Siricius Seculi IV. Pont. ultimus in epistol. ad Himericum cap. 7. prohibet cum uxore commercium iis, qui sunt in sacris, quod non negavit Calvinus ipse. Non latent etiam nos præcepta

D. Innocentii I. Seculi V. Pontificis secundi,

D. Leonis I. ejusdem Seculi V. Pontificis septimi

D. Gregorii M. Seculi VI. Pontificis ultimi. Taceantur horum & multorum aliorum Pontificum verba, solius D. Leonis audiatur sententia, quæ est ista: *Omniùm Sacerdotum tam excellens est electio, ut hæc, quæ in aliis membris ecclesiæ vacant à culpa, in illis tamen habeantur illicita. Cum enim extra Clericorum Ordinem constitutis nuptiarum societati & proco-*

procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam perfectam continentiam puritatem, nec Subdiaconis quidem carnale connubium conceditur, ut & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permanant singulares & innupti: quodsi in hoc ordine qui quartus extat a capite, dignum est custodiri, quamò magis in primo, vel in secundo, tertio servandum est, ne aut Levitico ministerio, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate uxoria, necdum firmasse detegatur.

ARGUMENTUM IV.

Præceptis Pontificum accedant testimonia antiquissimorum Patrum.

Origines Homil. 23. in librum Numeri: certum est, quia impeditur sacrificium indefinens iis, qui conjugalibus necessitatibus serviunt; unde videtur mihi, quòd illius solius est offerre sacrificium, qui indefinenti & perpetuæ se devoverit castitati.

D. Epiphanius contra hæreses: sanctum sacerdotium ex Virginibus, ut plurimum, aut ex solitariis, aut si hi ad ministerium non suffecerint, de his qui se à propriis uxoribus continent, & si quis ab initio continens viduus fuerit, habere potest locum Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi.

D. Chrysostom. Homil. 2. de patientia Job: dixit unius uxoris virum, non ea ratione, ut id nunc in Ecclesia observetur: oportet enim omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse.

D. Cyrillus Catechesi 12. si, qui apud Iesum bene fungitur sacerdotio, abstinet à muliere: ipse Iesus, quomodo ex Viro, & muliere proditurus esset?

Oecumenius in cap. 3. epist. 1. ad Timoth. explicat verba

D. Pauli notissima, nimirum: unius uxoris virum hac sua & ritè credentium omnium sententia: non statuit, ut ab uxore pendeat Episcopus, aut uxorem necessariò habeat, sed si fiat è mundanis, non sit saltem bigamus, ita tamen, ut vocatus ad Episcopi munus, illud compleat: quòd qui habent uxores, sint tanquam non habentes.

D. Hieronymus lib. in Vigilantium: quid facient Orientis Ecclesie? quid Aegypti & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt.

Idem in fine Apologiae pro libris contra Jovinianum: Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium pudici.

D. Ambrosius lib. 1. de officiis cap. ult. *Inoffensum exhibendum & immaculatum ministerium, nec ullo conjugali conu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugali, sacri ministerii gratiam recepistis &c.*

D. Augustinus lib. 2. de adulterinis coniugiis cap. 20. *solemus eis proponere continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur invitati, eamque susceptam usque ad debitum finem Domino adiuuante perducunt.*

Idem lib. de S. Virg. c. 21. *nos secundum scripturarum sanctarum fidem sanamque doctrinam nec peccatum esse dicimus nuptias, & earum tamen bonum non solum infra Virginealem, verum etiam infra vidualem continentiam constituimus. Satis sit adduxisse Patrum antiquissimorum & verba & exempla; non indigemus pluribus: non desit tamen uberior locus argumentis reliquis.*

#### ARGUMENTUM V.

Plerorumque Heterodoxorum hoc nostro tempore constans est sententia, primis minimùm tribus aut quatuor Seculis post Seruatoris nostri gloriosam ascensionem præceptis & consiliis diuinis simulque Apostolicis Ecclesiam Romanam attendisse plurimùm, conformasse doctrinam & mores, extitisse per eum temporis decursum Episcopos nostris etiam seculis imitatione dignissimos. Obtestor jam per Superos & inferos, Scriptores Heterodoxos, ut exhibeant tandem *absque erroris periculo* nomen ullius Romani Pontificis, ullius Archiepiscopi aut Episcopi per Italiam, Africam, Hispaniam, Galliam, Angliam, Germaniam &c, qui vel exemplo suo, vel alio testimonio publico Ecclesie probato docuerit, Clericis fuisse liberum, integrum & decorum in Latina præsertim Ecclesia uxorem ducere, ductam seruire, more maritorum diligere.

#### ARGUMENTUM VI.

Demonstrant Hübneriani tomuli, per universum Romanum Imperium & hujus vicinas provincias sedisse Seculis XVII. par-

partim Episcoporum, partim Archiepiscoporum abundè magnam copiam: atqui ex hac magna Antistitum copia Hübnerus & socii observatores sedulissimi non, nisi paucissimos ausi sunt expresse nobis obiicere Episcopos, quos asserunt, neutiquà verò vel authoritatis vel alterius argumenti adminiculo ostendunt, matrimonii lege fuisse adstrictos: qualis inde fluat illatio, æquo rerum arbitro censendam relinquo.

## ARGUMENTUM VII.

Si ullo unquam tempore fuisset liberum, integrum, aut minus etiam decorum Sacerdotibus nubere, plurimi procul dubio Seculis primis & mediis vigente libertatis & licentiæ copia duxissent conjuges, quemadmodum videmus per duo jam Secula ministros Lutheranos & Calvinianos ambabus, ut ajunt, non solum manibus, sed brachiis totis ambire consortes thalami. De quibus tamen omnibus in utramque partem, cum adeò constet, ut prius omnino lateat, posterius pateat, noverint prudentes judicium ferre.

## ARGUMENTUM VIII

Fingamus verò Sacerdotibus Romanis usque ad Nicolai I. vel Gregorii VII. ætatem integerrimum fuisse D. Pauli consilium sequi, vel matrimonio jungi. Fingamus denuo, non nisi dimidiam, aut fortè quartam eorundem classè conjugii vinculis manus dedisse: hoc si finxerimus, oportebit ex veterum annalibus eruere, scribere & pingere non tantum Archiepiscoporum & Episcoporum, sed & *Archiepiscoporum & Episcoporum Seriem*: (liceat obsecro loqui methodo Hübneriana) atque adeò haud difficiliùs fuisset Hübnero genealogiam earundem contexere, quàm difficile fuit plerorumque Imperatorum, Regum, Virorum Principum, harum conjugum, quin & multarum concubinarum lineas genealogicas solerter deprehendere. Certè cum Hübnerus Gebhardi

hardi Electoris à Romana Ecclesia transfugæ Agnetem Mansfeldianam & Paschalis Curiensis Episcopi Elopejam & genere & nomine tenus nullo fere negotio potuerit cognoscere, res facilis omnino fuisset plurima similibus mulierum nomina, stirpes, filios & filias recensere, quemadmodum nimirum hodie non est difficile Martini Lutheri Catharinam de Bore conjugem qualemcunque & horum filios nominare.

## ARGUMENTUM IX.

Minimè verentur dicere Latini, in Ecclesia Græca seculis postremis, non verò primis, fuisse integrum viris, qui primam duxissent conjugem, inter Viros Ecclesiasticos etiam suscepto Sacerdotio numerari: quod si igitur paribus argumentis permoti intelligerent, in Ecclesia Latina non ab similem nubendi datam fuisse licentiam, cur obsecro erubescerent fateri, quod res esset: cum Oecumenica Concilia ipsamet palàm confessà sint hactenus, in Ecclesiæ potestate constanter fuisse, & esse hodie, Clericis nuptias non malè concedere, vel meliùs negare.

## ARGUMENTUM X.

Docet Historia, dictat experientia, notum est lippis & tonsoribus, ministris Ecclesiæ Eg. Lutheranis vicinis nostris rem oppidò difficilem reddi curis domesticis, nimirum uxore ipsa, filiis, filiabus, nepotibus, cæterisque hæredibus apertis & occultis: has verò supervacaneas difficultates à Doctore gentium ritè notatas, ut maximam partem sublatas esse gauderet Romana Ecclesia, an non jure interdixit matrimonio iis, in quorum potestate & libertate est vel fugere vel accedere, eligere inter bonum & malum, inter bonum & melius? An non etiam in statu militari aut politico vel munus vel onus liberè in humeros susceptum, portandum est unà cum multarum difficultatum appendice? quamquam prudentum nemo dicit facilè, Clerico difficilior

cilius esse non nubere, quàm nubere, de ara tantùm, quàm de ara simul & Sara sollicitum esse, præsertim si nascatur brevi nec à Deo promissus Isaac, nec optatus Ismael.

### ARGUMENTUM XI.

Affirmat equidem Hübnerus, D. Bonifacium severitate maxima animadvertisse Seculo VIII. in Parochos uxoribus alligatos. Is ipse refert, Suecorum saltem Sacerdotibus aliquo tempore vel concessum, vel permissum esse conjugii vinculum. Verùm similes levis armaturæ milites nullo labore repelluntur tum armis Hübnerianis, tum nostris: Hübnerus namque iisdem paginis confitetur, non modò Sacerdotibus Clericis, sed etiam Religiosis non paucis volupe fuisse non tantùm simplici, sed & multiplici adhærere mulieri: igitur vel arcus Hübnerianus est sine nervo, vel ita scopum attingit, ut evincat, Religiosis etiam viris nuptias fuisse concessas, & simul his aut aliis Sacerdotibus polygamiam non fuisse vetitam: Bonifacius enim *omnia in omnibus* Sacerdotibus, Diaconis & Subdiaconis carnis vitia detestatus est, & repetitis Pontificiis præceptis è medio sustulit: ex D. Bonifacii igitur odio, vel injuncto Clericis non nubendi præcepto nihil favoris aut valoris sperare sibi potuit Hübnerus. Multa sanè verantur vitia annis à nato Christo fermè singulis, quæ nullo unquam ævo fuere licita, quod quàm de adulteriis Eg. non ambiguum sit, nemo ambigit. Cæterùm de nubendi licentia primis Suecorum Sacerdotibus data, ut vel modicè constaret, ampliùs optandum est. Verumenimvero quidquid demum contigisse inter Suecos vel referat Historia, vel fingat Hübneriana fabula, parùm aut omnino nihil refert: jam enim memoravimus, ab aliquot Seculis Græcorum Sacerdotibus licuisse nuptias celebrare ante susceptos Ordines. Simile beneficium, vel ut dicam meliùs, carnis illicium si permisisset Ecclesia, minimè foret vituperanda; nisi fortè ipsum Supremum Numen ob hoc vitupe-

randum esse censeamus, quod Polygiam, & multa alia Hebræis in Testamento Veteri *permiserit*

### ARGUMENTUM XII.

Tandem propositis nostris argumentis jure desideramus iterum iterumque authorum legitimorum eorumque maxime veterum tabulas & monumenta, quibus ob oculos ponant nobis amici Hübneriani, ullo unquam per XVII. Secula tempore Sacerdotibus Germanis licuisse nuptias impunè contrahere: de pœnis enim & mandatis Ecclesiasticis à Seculo VII. crebrò repetitis, ipse creberrimè dicit testimonium Hübnerus in tomulis suis contra se & suos testis validissimus. De prioribus autem Seculis tot, ut vidimus, tot sunt inquam castissimorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Præfulum, & minorum Sacerdotum exempla, verba & monumenta, ut sua multitudine & robore penitus elidant, enervent & absument quasvis adversariorum narratiunculas anilibus fabulis simillimas. Opponat jam, per me licet, Hübnerus etiam hoc loco, haud paucos fortè ex Pontificibus quoque Romanis usos esse prorsus illicito carnis commercio; quid tum postea? An Iscariotes mæchus, an magus, an fur fuerit, parùm interest, fuit nihilominus Christi discipulus, Apostolus minister Ecclesiæ. Vitia igitur tam parùm obesse possunt legitimæ Pontificum potestati, quàm parùm obesse novimus legitimæ Imperatorum Regum, aut aliorum virorum Principum authoritati. Nega si potes, quisquis audacter negare consuevisti, & tum quid firmum validumque in orbe terrarum dici queat, haud amplius invenio. Habeant jam, quod tantopere desiderant Hederodoxi, fuerint pauci ex Romanorum Pontificum longissima Serie carnis vitio assueti, tum verò dent etiam nobis, quod magnopere exoptamus, videlicet paucos saltem ex eadem Pontificum Serie, matrimonii vinculo ligatos: at votis nostris minimè damnamur: Hübnerus enim  
fin-



singulorum Pontificum solertissimus observator, & plurimorum criminator de solo Hormisda ausus est dicere, hunc connubii legem junxisse Pontificatui, atque adeò genuisse patrem Pontificem, genitum esse filium non minùs Pontificem. Verùm quàm vanè, quàm fictè sit ausus asserere, videatur Series Pontificum Friburgi in lucem edita.

Jam verò Gervilionis Archiepiscopi Moguntini & Pascalis Episcopi Curiensis exempla Hübneriana, quem Lectorum, obsecro, à communi tramite absterreant; aut in semitam nobis adversam abripiant. Vera enim vel falsa dicant adversarii, nec pilum nec hilum tamen inde lucrantur: fingamus, vel liberalitate maxima concedamus re ipsa evenisse, ut Archiepiscopus & Episcopus suam duxerit uxorem, & tum sequitur planissimè, quòd uterque à rectissima Antistitum reliquorum omnium via aberrârît longissimè more ovium perditarum, aut potiùs more pastorum, quos ajunt lupos.

## REFLEXIO XVI.

### DE COELIBATV ET MORIBVS CLERICORUM ANTIQVORVM PRÆSERTIM GERMANORVM.

**Q**uoniam Hübnerus variis iisque multis paginis Clericorum præcipuè antiquorum mores parùm honorífico pingere penicillo, aut describere calamo non est veritus adeò, ut miraculi aut monstri instar eidem visum sit invenisse *Parochum* in Divorum catalogum ritè adscriptum: hac de causa oportet etiam quæppiam opponere de statu Clericorum Episcopis minorum. Priusquam verò pro horum, præcipuè verò Parochorum causa justissima dicere aggredior, pauca præmit-

L 1 2

to,

to, quæ observanda priùs & præmittenda dedit cum sociis Hübnerus : meminisse itaque juvat

I. Hübnerum cum asseclis in eo totum esse, ut vel suâ Historiâ evincat, vel pridem evictum credi jubeat, Clericis non minùs quàm laicis licuisse uxores ducere.

II. Hanc ob causam iniquis præceptis instituisse, & pœnis urfisse D. Nicolaum I. Gregorium VII. aliòsque Pontifices Romanos, ut Sacerdotes à contrahendis nuptiis procul arcerent.

III. Non minùs malè, imò pejùs egisse in Germania D. Bonifacium, quòd totis viribus in id unum incubuerit, ut suas Parochis adimeret uxores.

IV. E contrario Henricum IV. Imperatorem justissimè contravenisse Gregorii VII. præceptis & pœnis, concedendo suas Clericis conjuges. Legat hac super re cuicumque placuerit, Hübneri tomulum I. III. VII. & VIII. in quibus multoties repetit data hìc compendio.

His præmissis delectat ex Hübnero quærere : vel tulit antiqua Ecclesia legem, qua Sacerdotibus negandæ erant nuptiæ, vel veriùs legis non meminit? Horum prius si asserat cum sociis Hübnerus, tunc hercle ruit pars nimium magna de tomulis Hübnerianis, in quibus propugnavit, veluti pro aris & focis pugnaret, ministrorum in Dei Ecclesia nuptias, uxores, filios filiasque ut vocat creberrimè, *legitimas*. Sin posterius affirmet, tunc nefas non fuit Clericis conjugem unam, & hac mortua secundam, & deinceps tertiam cum ancillis domi alere, amare & liberos suscipere. At enimvero sic denuo pars abundè magna de Hübnerianis argumentis evanescit : argumenta quippe, quibus Sacerdotum mores convellit sæpe, sunt ea maximè, quibus intendit docere, Sacerdotes Parochos nostros tenerius dilexisse sponsas profanas, quàm sacras; liberis generandis majorè navasse operam, quàm libris legendis; paucis multa : inter curas domesticas & uxorias illecebras parùm curasse animas &c.

Hasc

Hæc verò illecebras & curas maritorum more domesticas si lex nulla vetuerit, nec hodie Lutherana Religio suis ministris interdicitas velit, non capio, cur usque adeò Hübneriani libri reprehendant liberum quorundam Sacerdotum cum uxoribus suis olim commercium & studium domesticum: conjugia namque è vestigio sequuntur multa commercia à Gentium Doctore pluribus descripta. *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Corinth. 7. Hæc ad hominem, cui ut multa fingendi amore permittamus, fingamus tantisper per varia Secula non nisi à paucioribus Clericis Venerem & quosvis vitiorum deos fuisse victos triumphatosque, quid tum postea? an ob pravos multorum etiam Sacerdotum mores ruit continuò Romanum ædificium? minimè gentium: abusus namque neutiquam tollant usum, & vitia reddant nequaquam ejus authoris doctrinam vitiosam, cujus essentia, uti cum Theologis loquimur, ipsissima est virtus. Hæc nisi capiant adversarii, de Ecclesia Testamenti Veteris pauca oportet dicere. Suos nimirum passi sunt manes cum Pontificibus Testamenti Veteris Duces, Reges, Judices: quin & Patriarcharum ac Prophetarum nonnulli: in vitiosissimorum hostium manibus erant Arca fœderis, & multo tempore universa Hebræorum Ecclesia: nec tamen Ecclesia, nec Arca de suo pretio amittere quicquam. Obsecro fingat Hübnerus, aut fingant amici Hübneriani fuisse aliquo tempore Lutheranis placitis haud imèritò magnum pretium; si pravi mores ministrorum aut Virorum Principum hoc qualecunque diminuunt, aut tollunt omnino pretium, actum est de Lutherana Ecclesia. Testor Historiam publicam; testor quotidianos rumores & famam minimè dubiam: testor confessiones Lutheranorum & Calvinianorum publicas, quibus præter suorum partim Ecclesiasticorum, partim Politicorum Ministrorum infirmitatem maximam, utinam non etiam Principum confiteri cogentur nævos & errores.

Hucusque profectò multa dissimulavi atque permittenda putavi, quæ deinceps permittam nusquam & nunquam: probatos enim maximè doctrinâ, virtute multiplici, imò virtutum sanctitate clarissimos, & maxima veneratione dignissimos Parochos aliòsque Clericos plurimos ex antiquissimo, medio & ultimo Ecclesiæ statu, ex Hübnero ipso, sed sui denuo oblito ostendere, est perquam jucundum, suave ac facile: meminit enim

I. Ipse Hübnerus præsertim tomulo suo VII. & VIII. sæpe ab Archiepiscopis & Episcopis à Seculo Reparatae Salutis VIII, nunc Wormatiæ, nunc Moguntiaë, nunc Coloniaë, nunc aliis in Germaniæ urbibus celebrata esse Concilia, ut emendarentur non paucorum Sacerdotum mores & sacra. An non illi saltem probatis fuerunt moribus, qui authores & adjuutores extiterunt horum Conciliorum?

II. Meminit, Episcopos ex Germania etiam multos unà cum Clericis longissimarum viarum sociis in Palæstinam venisse, ut venerarentur in suis vestigiis & monumentis posteritati relictis Servatorem suum unicè dilectum. An non horum saltem pars major aut magna promerita est multis celebrari laudibus?

III. Afferit, plenos animarum zelo & charitatis ardore incensos contendisse Apostolorum more *cum sociis Sacerdotibus* ad convertendos Frisones S. Bonifacium; ad Danos, Suecos & Polonos S. Ansgarium & S. Rembertum; ad Bohemos & Moravos S. Adalbertum; ad Brandenburgicos & Pomeranos S. Ottonem; ad Magdeburgicos S. Suibertum; ad Norvvegos S. Olaum; ad Westphalos S. Ludgerum &c. An non horum plerique saltem inter laudatissimos Apostolorum æmulos sunt numerandi?

IV. Refert, ex universis per Germaniam Archiepiscopis & Episcopis, si ipsi non venerint in provincias à se distitas, non paucos sedulò curâsse, ut mitterentur idonei viri ex Clericorum statu

statu, ad erudiendas primò, vel pleniùs instruendas infidelium turmas. An non suus hos maneat honos ?

V. Affirmat, universam denique Germaniam à Seculo VII. VIII. & IX. usque ad X. aut XI. Romanis accessisse sacris, abdicata esse foeminarum consortia; Clericos Romano jugo esse subjectos. An non reformatio hæc jure placeat ?

VI. Cum honore & laude refert, institutas esse & ordinatas per Occidentales præsertim & Septentrionales partes, dioceses novas unà cum paræciis diversissimis: ipsos vicitim venisse Episcopos, ut sacerdotum subditorum coram arbitri & censes observarent statum. An possit Hübnerus vituperare Clericos, quos paulò antè laudavit ?

VII. Confirmat suo suffragio, quamvis schismata inter Pontifices & Imperatores præcipuè Francos natione & Suevos oborta, multis repleverint malis Ecclesiam & Imperium; inter adversitates nihilominus maximas Archiepiscopos & Episcopos plerosq; cum subditis Clericis Pontifici Romano constantissimè adhæsisse, contemptis quibusvis rerum temporalium periculis. Quis tales tantòsque Clericos jure reprehendat ?

VIII. Affert Hübnerus ipse Archipræsules cum Episcopis ex Clericorum statu electis à Seculo VI. ad hanc seram usque ætatem nostram profectò multos partim generis splendore, partim scientiarum peritià, partim morum probitate, partim virtutum sanctitate, partim miraculorum claritate plurimùm conspicuos; argumento sit triplex Archiepiscoporum nostrorum Series & Reflexiones superiùs allatæ. An saltem hos encomiis extollere non pergat Hübnerus Clericos & Parochos maximos ?

IX. In Serie Romanorum Pontificum tametsi Hübnerus industria singulari conquisiêrit omnes omnium ferè nævos per Secula singula; iisdem tamen Seculis in comparatione meliorum, imò optimorum simulque multorum Pontificum ex Clericorum statu electorum invenit admodum paucos, quos invitâ minervâ  
verius

veriùs voluit, quàm jure potuit reprehendere, & Lectori exosos reddere. Optatam igitur extollendi Clericos nostros obtulit ansam Hübnerus licèt maximè invitus.

X. Veniant jam nobis Parochorum clarissimorum nomina, ut ex paucorum exemplis appareat, quales quantique fuerint plurimi, quos sua quæque novitas, & eos posteritati licet facillè intelligere ex multorum authorum libris, ac fortè etiam ex hoc præfenti libello. Argumenti instar eadem præclara nomina erunt nobis ob id etiam, quòd Hübnerus ipse eorundem aliquot suo more laudârit:

EX DIVORVM CLERICORVM MAXIMO  
NUMERO NONNULLA NOMINA OR-  
DINE ALPHABETHI.

- S. Albanus Epilepticorum solatium *dictus.*
- S. Aquilinus peste laborantium *salus.*
- S. Batho famelicorum nutritius.
- S. Burchardus claudorum baculus.
- S. Eulogius Verbi Divini seminator zelofus.
- S. Felix suppressæ veritatis defensor.
- S. Florinus indefessi pastoris ectypon.
- S. Gamelbertus Propheta sanctus.
- S. Gisilarius Catechista sedulus.
- S. Goar adversùs detractores Patronus.
- S. Guilielmus vocatus à Deo Sacerdos.
- B. Hieronymus Simon Passionis Dominicæ cultor.
- S. Joannes Nepomucenus silentii custos & justii honoris defensor.
- Ven. Joannes Sarcander Martyr invictus.
- S. Jvo pauperum advocatus.
- S. Præcordius in provocandis pluviis alter Elias.
- S. Toffo cereus nunquam deficiens.
- S. Trudo Hasbaniorum Apostolus.

- S. Valentinus veritatis Christianæ zelotes.  
 S. Wolfoldus contra calculum Patronus.  
 S. Wonedulffus claudorum & cæcorum Adjutor.

Hos paucos ex multis colligere veluti in fasciculum florum placuit, ut virtutum multarum odorem olfaciendum darem Lectoribus Orthodoxis & Heterodoxis.

En! amicissime Lector argumenta decem ab ipsismet Clericorum nostrorum reprehensoribus in Hübneri tomulis ipsomet authore errorem suum non notante sparsim conscripta, & causæ melioris partibus relicta, ex quibus rem perfunctoriè etiam consideranti facilè patebit, partem Clericorum sanè magnam Seculis non modò à morte Servatoris nostri proximis, sed & omnibus reliquis constitisse sibi plurimùm in munere Apostolico ritè obeundo. Quod ipsum quàm egregiè, præsertim à Tridentini Concilii ætate præstetur à Pontificibus Romanis tanquam Supremis Ecclesiæ Parochis, item à Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Præsulibus minoribus, & Parochis plurimis omni virtutum & scientiarum genere celeberrimis, minimè opus est, ut pluribus scribat calamus, dum orbis Catholicus loquitur universus. Si igitur, veluti crebrò contendit Hübnerus cum sociis, fuit plurimorum Sacerdotum crassa ignorantia, legum divinarum ac humanarum libera transgressio, Veneris & Bacchi connubia perpetua &c, quæ vocat deficientis Ecclesiæ Romanæ argumenta; tunc considerent etiam atque etiam æquissimi rerum arbitri, an non hæc ipsa fuerint invalescentis, & instar lolii inter vepres crescentis Lutheranae Religionis nutrimenta & augmenta ac prima fundamenta: considerent pariter, an si hodie cum sociis venirent, veluti venerunt Calvinus, Lutherus, Zvvinglius &c, an putas his locum concederent Parochi plurimi Romani, natione Germani literis, moribus & virtutibus instructissimi simulque præstantissimi, quales ac quantos nimirum ante aliquot Secula multo tempore exoptârunt boni

omnes sibi & expectârunt, non tamen impetrârunt, atque adeò ovium instar ex defectu pastorum & pabuli melioris ad deteriora pascua declinârunt plurimi, haudquaquam declinaturi hodie, si res foret integra. Argumento sint Reges, Duces, Viri fœminæque Principes per Europam maximè, ad Orthodoxa Sacra reduces unâ cum multis mortalium resipiscentium millibus.

*Leg. Seriem Rom. Pont. Imperatorum, & reductorum passim nomina multa.*

## REFLEXIO XVII.

AN CONSULTIVS FVERIT ADHÆRERE ALBERTO ELECTORI MOGUNTINO IN FIDE ROMANA FIRMISSIMO, AN VERO IOANNI FRIDERICO ELECTORI SAXONICO LUTHERI PLACITA AMPLECTENTI.

**Q**uantæ turbæ in Ecclesia & Imperio Germanico secuta fuerint duobus abhinc Seculis vel ob id maximè, quòd Albertus natus Marchio Brandeburgicus, electus dein Magdeburgicus Arhipræful, & Moguntia Elector, posthabito Luthero Joannem Tezelium ex Ordine Prædicatorum Virum doctissimum sibi delegerit ad promulgandas Jubilæi indulgentias, non inter doctos duntaxat, sed in vulgus etiam est notissimum. In illo maximo rerum discrimine Tezelius Alberto Electori tanquam petrae institit & adhæsit firmissimè: Lutherus ut & ipse in niteretur columnis, providit sibi de Viris Principibus, præsertim verò de Joanne Friderico Electore. An igitur Albertus, an Fridericus, an Tezelius, an Lutherus ex prudentiæ regula egerit magis, jam paucis est discutiendum.

I. Albertus eligendo sibi in promulgatorem indulgentiarum Joannem Tezelium jure suo usus, nullius jus læsit: Fridericus Lutherum electo Joanni summopere invidentem nullo jure, aut saltem maximâ Alberti offensâ, sibi propugnandum suscepit.

II. Alber-



II. Albertus ut motos componeret fluctus, testibus epistolis etiam ad Lutherum datis, rem totam suaviter discutiendam esse docuit. Fridericus suadente Lutero turbas amavit, & turmas armavit.

III. Albertus ut de fide controversias identidem excitari magis advertit, in causis Ecclesiasticis ad Pontificem, in Politicis ad Cæsarem confugit: Fridericus urgente Lutero, & Pontificis, & Cæsaris sententias si non despexit, minimum neglexit.

IV. Albertus ex communi bonorum omnium consilio Tridenti celebrandum esse Oecumenicum Concilium esse & ipse censuit: ejusdem consilii primò, sed non postremò fuit Fridericus.

V. Albertus ut staret promissis, & Ecclesiæ bono communi prodesse plurimum, præsens Concilio adesse studuit: Fridericus parùm promissi, aut propositi sui tenax, nec ad Concilium venit, nec legatos misit.

VI. Albertus Concilii Canones, consilia & sententias examissimè est secutus: Fridericus privatorum Doctorum inter se parùm convenientium mentem est secutus.

VII. Albertus in Imperii Comitibus constanter præsens verbo & opere prodesse Reipublicæ firmiter secum constituit: Fridericus unà cum sociis multa clam egit & comitia turbavit.

VIII. Albertus instar angeli pacis omni tempore bella dissuasit; obedientiam & reverentiam exhibendam esse & Pontifici & Imperatori perseveranter dixit: Fridericus clam agitatis de gerendo bello consiliis in apertos denique campos exercitum adversus Ecclesiam & Imperium eduxit.

IX. Albertus decorem domus Dei constanter diligendum optimè ratus, Ecclesiæ thesauros sanctè custodiri imperavit: Fridericus, aut hujus multiplex socius ablatis ex Ecclesia auro, argento & omni pretiosa suppellectile vacuas Deo ædes sine cul-

tu, sine decore, pecorum stabulis non multùm ab similes reliquit teste hodiernâ experientiâ.

X. Albertus antiquissimæ Ecclesiæ mores & præcepta ritè edoctus, nunc jejunandum, nunc à comedendis carnibus abstinendum, nunc Sacerdotibus ad aram facientibus attendendum, nunc de peccatis, ut vocamus, mortalibus, secundum numerum & speciem Sacerdoti confitendum, nunc juxta D. Doctoris gentium doctrinam, corpus castigandum & servituti subjiendum; Clericis verò universis ac singulis à conjugii vinculo fugiendum &c, verbò, leges, licèt sint difficiliores, in Ecclesia esse conservandas, & sanctè custodiendas unà cum maxima orbis parte Catholica censuit: Fridericus cum minori longè opinantium grege faciliora & periculosiora omnia arripuit.

XI. Albertus malis bellorum plurimis obrutus, inexpugnabilem & invictissimum se ostendit: Fridericus victus & captus à Cæsare, ut victori victas denique daret manus, cœlum monere & mandare est visum: sed monuit non audientem, mandavit renuenti, an constantius, an pertinacius, Fridericus jam didicerit.

XII. Albertus Ecclesiam Romanam à veritatis tramite aberrasse, quod affirmârunt Lutherani, haud bene doceri, minùs ostendi argumentis, minimè demonstrari asseruit: Fridericus nimium facilis ad credendum incredulis absque solido fundamento dixit: *Ecclesia in multis erravit, reformatione opus est.*

XIII. Albertus usurpans sibi sententiam illam hodiernis Protestantibus communissimam: moriendum est in Religione illa, in qua nati sumus, nisi ratio luce meridiana clarior mutationem suadeat: Fridericus rerum gravissimarum momentis in utramque partem satis haudquaquam perpensis & consideratis, januam latissimam placitis novis & sacris an non temere aperuit?

XIV. Albertus ea virtute & felicitate vixit tandèmque factis concessit, ut vivo & mortuo multas dixerint laudes non modò

dò Orthodoxi, sed & Heterodoxi, conviçti Albertinis virtutibus: an ita evenit Friderico?

XV. Albertus ea virtute & felicitate vivens ac moriens præcessit exemplo Viros in Imperio Principes, ut ejusdem vestigiis pedem figere relicta Friderici via gavisi sint hactenus multi, veluti demonstrat reductorum Principum numerus. An (edite obsecro) à multis omnino lustris nactus est sectatorem Virum in Imperio Principem Fridericus?

Statue igitur amice Lector, an Joannes Tezelius Albertum, an Martinus Lutherus Fridericum secutus sit tutius. Statue pariter, an Albertus in stadio Romano felicius ad metam usque currere perseveraverit, quam Fridericus currere cœperit, cursum tamen non consummaverit Elector meliori via, duce, doctore saniori dignissimus, si Superis placuisset, aut placere amplius studisset.

## REFLEXIO XVIII.

UTRUM IMPERIO PROSINT MINUS VIRI PRINCIPES  
ECCLESIASTICI, QUAM SECULARES.

**P**urimum interest Europæ nostræ Romanum Imperium in statu constitutum esse optimo; huc tendunt bonorum omnium vota ac desideria; huc collimat Bulla Aurea Reipublicæ Germanicæ publica Regula, quæ eos Imperatori requirit ac desiderat adjuutores, ut tanquam columnis insistere possit ædificium Imperii firmissimum, aut veluti membris ritè dispositis & compositis Caput Supremum Cæsar. Non defuerunt elapsis Seculis hostes multi, qui Electoribus in Imperio tribus Ecclesiasticis, Archiepiscopis reliquis, Episcopis & Præsulibus aliis omnem dignitatis gradum, & quamlibet bonorum temporalium possessionem jure invidendam, quin occasione quavis diripiendam esse existimârunt, eo etiam persuasi argumento

M m 3

falla-

fallacissimo, quòd minimè è re Germanici Imperii sit Principes Ecclesiasticos tanto numero intueri ac venerari. Num ita res habeat, nunc paucis considerandum. Imperatori ut integrum, planum, facile & expeditum sit pro potestate ac majestate sua quovis tempore imperare, virum & aurum dare, consiliis & auxiliis, præsertim si necessitas postulet, succurrere, nequaquam graventur Status Imperii. Respiciamus jam præterlapsa ab institutione Electorum & aliorum Virorum Principum Secula omnia, an Ordines Ecclesiastici, an ab his diversi suo tempore expeditius jure poscenti auxilia Cæsari obediverint. Nisi odium pareret multorum singularia nomina & auxilia memorare, res continuo pateret, & discrimen appareret. Absit verò à nobis remotissimè cujuscunque demum Viri Principis nomen adducere, vel famam in discrimen vocare: exempla multis communia veluti per tenebras respexisse sufficiat. Probè autem meminisse juvat, inter eos intestinos Imperii hostes veriùs, quàm amicos, & rarò, & non nisi paucissimos numeratos fuisse Viros Principes Ecclesiasticos, si tamen excipias Henrici IV. Friderici II. Adolphi aliorumque Imperatorum iniquissima tempora, quibus eosdem Imperatores omni dignitate ac potestate Imperii exuendos esse judicârunt denique Status in Imperio ferè singuli & universi; atque adeò nemini vitio vertendum fuit, partes talium Imperatorum deseruisse. Si verò imperârunt Imperatores ab his maximè diversi, hoc est supremo solio & sceptro dignissimi, tunc oculis intueri licuit nunc militum copias, nunc aurum belli nervum, nunc auxilia alia Cæsari ab Ecclesiasticis Ordinibus omni tempore longè expeditius, quàm ab aliquot Imperii Civibus subministrari. Dum multa hic silens prætereo, non silendum est, quòd Ecclesiasticorum Statuum sit illa virtus maximè propria, qua consueverunt cives suos non nimium gravibus onerare tributis, non indulgere luxui, rem oppidò curare domesticam, prospicere tempori, consulere futuris tempestatibus,

pau-

paucis accipe multa, providè rem agere, ut in omnibus agatur prosperè. Non fugit Imperatores, Reges, Duces & milites multos Principum Ecclesiasticorum ac in Monasteriis Præsulum solertia, cura domestica, & res Oeconomica; unde non rarò in angustiis nunc petierunt, nunc armatis precibus postulârunt suppetias aureas. Sileo hìc denuò multa, ne vel eminusetiam detur offensæ locus. Hæc pauca proinde pro Ecclesiasticorum in Imperio Statuum honore debito dixisse satis: plura animo volvere, oculis in Historia publica legere, & calamo scribere relinquamus aliis.

## REFLEXIO XIX.

### AN LVTHERANI SCRIPTORES CITRA PRÆJUDICIUM SUI SCRIBERE POSSINT HISTORIAS RELIGIONIS CAUSA CREBRO PERMIXTAS.

**P**ostquam Lutheranorum Historicorum libros non paucos volvi & revolvi, legi ac relegi, antecedentia & consequentia, majora & minora, Ecclesiastica & Politica, quo ordine aut methodo sibi met respondeant, consideravi, dubitare mecum non vanè occepi, num Lutheranæ fidei aut religionis author quispiam absque aperta verborum & sententiarum, atque in fide etiam articulorum repugnantia calamum instar gladii possit stringere, simulque in hostem dirigere sine proprio vulnere. Nec multo hìc, nec magno labore opus erat, ut ipsa planissima veritas sese insinuaret, negans ac pernegans, rite fieri posse, ut Scriptor hodiernus Luthero Eg. addictus Virorum in Imperio Principum Historiam conscribat, nisi manu altera ædificet, altera destruat; vel profectò non nisi nominum & annorum jejunam Seriem consarcinet, quod Historicum commendat minimè. Multorum loco & exemplorum instar veniant nobis

nobis Hübneriani tomuli Germanorum plurimis non ignoti, Tomuli hi universi Historiam partim Ecclesiasticam, partim Politicam complexi, qua verborum concordia & sententiarum constantia sibi met respondeant in Serie Romanorum Pontificum, Imperatorum & nunc Ecclesiasticorum Electorum, multis in locis deprehendimus & manu palpavimus. E. g.

In Serie Romanorum Pontificum omissis miraculis & laudatissimis factis sola propemodum recenset nomina & vitia, quae ullo unquam tempore evenisse limati ingenii authores & Lectores Lutherani ne opinantur quidem: in tomulis autem aliis amplissimum concedit locum Archiepiscoporum, Episcoporum factis egregiis, Regum, Ducum ac aliorum Virorum foeminarumque ad Romanas aras conversionibus prodigiosis &c.

In eadem Pontificum Serie antiquae Religionis seu Fidei lumen vel Seculo III. aut IV. aut certe his proximo absconditum, modii aut scamni tenebris concreditum esse fidenter asserit; Pontificis Romani auctoritatem in Episcopos alios, in Principes Politicos pernegat, ridet, contemnit: in tomulis aliis Eg. VII. & VIII. uti memoria probe tenemus, est sibi met contrarius.

In tomulo I. laudat Lotharium II. quod Sacerdotibus ad aram facientibus summo mane per unam alteramve horam adesse firmiter statuerit: in tomulis vero aliis eos maxime commendat, qui Catholicorum sacris adesse recusarunt.

In Serie Imperatorum, Regum ac Ducum diffitetur ne utquam, patris multis etiam Seculo VII. VIII. IX. & X miraculis plantatam & propagatam esse Ecclesiam: in Serie autem eadem, aut non multum diversa eradicatam fere esse rite credentium Religionem affirmat.

In tomulorum suorum partibus variis, ubi Religio Catholica & Lutherana veluti in arena sibi occurrunt hostes, signa caelestia facili negotio pro se suisque admittit: at vero in partibus aliis eadem pro Romanis asserta extenuat, somnia vocat aut fabulas.

In

In tomulis VII. VIII. & aliis Divorum Evergetum apparitiones, auxilia prompta & solatia commemorat: at in tomulis iisdem, vel aliis honorem perexiguum Divorum choris admittit, negata penitus eorundem invocatione. Taceo res multas alias, quæ Historiæ concordiam maximopere desiderant. Et sanè argumentis pluribus ostendere non est difficile, Historias ab Heterodoxis scriptas aut scribendas, si de Religione, more sibi jam consueto non cessent multa sparsim inferere capita, absque narrationum discordia & pugna propria consistere vix posse: Historicis enim Lutheranam Ecclesiam propugnantibus incumbit

I. Palàm facere, Ecclesiam Romanam primis Seculis Deo dilectam ex visibili, ut ajunt ipsi, transisse in invisibilem. Incumbit

II. In causa hac omnium gravissima argumentis non vero similibus duntaxat, sed certis, & luce meridiana clarioribus demonstrare, Romanam Ecclesiam aliquo tempore integram, fuisse verè corruptam.

III. Coguntur exhibere, quo anno aut Seculo tantam metamorphosin passa sit Romana Ecclesia.

IV. Adiguntur edicere, quis aut quæ demum causa tantæ eclipsis in Ecclesia extiterit. Hinc si reponant, Romanos Pontifices tanti mali originem fuisse; tunc enim vero

V. Obligantur testimoniis declarare, Eg. Gregorium M. vel Bonifacium III. vel alium horum Successorem in Dogmate saltem aliquo certè errasse, & in errorem traxisse pene infinitos alios mortalium miseros.

VI. Tenentur historiâ suâ edocere Judicem, qua ratione urbes & orbis ferè universus, vel simul, vel sensim sine sensu derelicto Deo Romano Pontifici jam non vera, sed fallax Ecclesia pertinaciùs quàm firmiùs adhærere cœperit.

VII. Jubentur patefacere, cur Ecclesia per plurimorum annorum centurias omnino extingui non queat, si possit per multa omnino secula abscondi, vel in paucis duntaxat capitibus, iisque confertissimæ hominum multitudini penitus ignotis conservari.

VIII. Docere ipsorum est, cur cœlorum, ut vocamus, janua omnino non possit feris firmissimis concludi per dena Seacula, si tam multis Seculis nemini ferè pateat (nam non nisi ritè credentibus patet) Ecclesia, quæ dicitur verè *Porta cœli*.

IX. Oportet manifestare, textus S. Codicis, qui communissimè in medium afferuntur pro Ecclesia perpetuò visibili, in diverso longissimè sensu procul dubio esse accipiendos, quàm nunc à Romana accipiuntur Ecclesia.

X. Ipsos decet defendere, in sacris paginis patere textus alios, quibus demonstrantur tempora, aut locus, aut modus Ecclesiæ veluti sub terris absconditæ.

XI. Demonstrandum est Romanæ Ecclesiæ hostibus tam Græcorum, quàm Latinorum Patrum testimonia & Historicorum Historiam pro Ecclesiæ nostræ perpetua visibilitate editam, esse prorsus vanam ac fatuam.

XII. Oneribus aliis accedit & hoc; aperire nimirum & ostendere, imitatores Christi innumeros pene Martyres vel à Seculo IV. vel V. VI. &c usque ad Lutheri tempora fuisse deceptos, dum sanguinem haudquaquam in testimonium latentis, sed apertæ Ecclesiæ, scilicet Romanæ fuderunt.

XIII. Ostendant necesse est, sinistrâ prorsus doctrinâ fuisse instructos eos viros & fœminas Principes, quos à Seculo IV. V. VI. &c Romanæ Ecclesiæ propiùs accessisse ex Historia etiam Hübneriana novimus.

XIV.



XIV. Evincere oportet, Ecclesiam nostram in variis omnino dogmatibus *certissime* differre ab ea Ecclesia, quæ floruit primis Seculis.

XV. Coguntur ob oculos ponere, quot & quænam censeantur ea diversa dogmata.

XVI. Officii ratio postulat inde, ut luce meridiana clariùs exponant, suam scilicet Lutheri Ecclesiam prorsus non differre ab ea Ecclesia, quæ primis Seculis supra candelabrum luxit.

XVII. Oportet demum Lutheri asseclas respondere an ipsorum Ecclesia sit manifestè vera & visibilis.

XVIII. Item an non & ipsa ex visibili mutari possit dènique in non visibilem.

XIX. Si reponant, Ecclesiam suam esse veram ac visibilem, incumbit obligatio pandendi signa illa, an nimirum similia, an diversa sint ab iis, quæ vidit Ecclesia nostra à primis & mediis Seculis.

XX. Si respondeant esse similia nostris: tunc patrocinantur nobis. Si diversa placeant signa, necessitas cogit dicere, quæ & qualia sint illa; an nimirum extraordinariæ Eg. Virorum Principum conversiones, an miracula, an doctrinæ unitas, puritas, sanctitas &c? Si hæc non displiceant

XXI. Aperiant necesse est, quænam illæ fuerint conversiones, quænam illa miracula, qualis doctrinæ unitas, puritas &c, ita ut in nostra Ecclesia non sint omnia hoc etiam ex capite plura, illustriora, veriora?

XXII. Tandem cùm Ecclesiam nostram in multis errasse afferant, & documentis Historicis assertum firmare laborent, Scriptores adversi, incumbit his ante omnia alia argumentis solidissimis ante oculos Lectorum ponere, Historiam nostram

longè antiquiorem sua recentiori superari, confutari, atque confundi.

XXIII. His aliisve similibus rerum capitibus ritè datis & probatis, atque in fronte librorum suorum præfixis, aut si placet, à tergo positis, si scribant Historias fidei controversis mixtas, non vitandi, non vituperandi, sed legitimis Lectoribus sunt digni Scriptores Lutherani. *Vide argumenta plura in Serie Rom. Imperatorum pag. 15. 16. & 17.*

## REFLEXIO XX.

### QUANTI HÜBNERIANA ADMONITIO SIT EACIENDA, QUÆ UNO ALTEROVE DE AR- CHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS LOCO OBSCU-

RE INTENDIT DICERE, SE POTIUS SCRIBERE MORE  
CATHOLICO ROMANORUM, QUAM LUTHE-  
RANORUM.

**S**cripsit ut memini, Hübnerus in una & altera pagina, præsertim verò de origine antiquissimorum Episcoporum, & horum uno alterove stupendo prorsus miraculo, *fidem admodum dubiam adhiberi merito his aliisque Papistarum narratiunculis. Item non tam suam, quam Papistarum credulam hic aperiri mentem &c. Vid. tom. VII. pag. 462. de Curientium Episcoporum origine. Eod. tom. pag. 20. de Archiep. Mogunt. Eodem tom. pag. 774. &c.* Scripsit, inquam, hunc in modum Hübnerus, at ita scripsisse ac monuisse an Orthodoxis, an Heterodoxis profit magis, haud obscurum est: tametsi enim in una alterave pagina dicto moneat modo, tale tamen monitum omisit in mille paginis, Catholicorum quasi manu & more, utinam & fide ab Hübnero exaratis. Monita item Hübneriana nequam multiplex, sed unum alterumve Lutheranis parùm acceptum caput, aut facinus attendunt, quod abundè Lectori testantur monitis & cautelis Hübnerianis notatæ paginæ. Adde, Hübnerum nunquam facile omisisse nunc diæteria, nunc acerba  
mo-

monita, nunc oppositiones Catholicis adversas, quotiescunque libuit magis, quam licuit: libuit autem scribenti creberrimè non solum Seriem de Romanis Pontificibus, sed etiam de Archiepiscopis, Episcopis & aliis Viris Principibus. Denique optarem sanè, ut Archiepiscoporum & Episcoporum Series scripsisset fideli calamo, veluti scriptas jam invenit in Authoribus Catholicis, tum enimvero apparet continuò discrimen inter veros & truncatos libros. Dum Serarii & Brovveri libros de Archiepiscopis Moguntinis & Trevirensibus in lucem editos crebrò perlegi, & manibus, ut ajunt, palpavi, Hübnerum pleraque hisce ex Authoribus collegisse & suum addidisse, justissima indignatione accensus & iratus sum Scriptori, quòd multa & meliora planè omiserit, pauca & pejora expresserit. Quam sæpe igitur pro Catholicis contra se suosque scripsit, *suimet oblitus, & Historiæ veritate convictus* scripsisse censendus est. Minimè proin solvuntur continuò argumenta nostra Hübnero Historiæ suæ & tomulorum discordiam maximam opponentia, dum fortassis reponit Hübnerianus hæres aut amicus, Hübnerum in tomulo VII. VIII. & aliis multa potiùs Catholicorum more & fide recensuisse: enimvero si hæc scribendi historiam methodus placuit in tomulis postremis, cur non pariter in primis, ubi de Romano Pontifice & Imperatore præsertim de Phoca rem legendam dedit? Sinistrâ demere, quòd dedit dextera; nunc affirmare, nunc affirmatum negare; nunc album, nunc nigrum dicere; nunc calidum nunc frigidum spirare, nec Superis, quin nec inferis jure potest placere. Doctrinæ constantia, Historiæ concordia, dictorum & scriptorum conformitas maximè commendant Authorem: vitia quævis his virtutibus contraria condemnant Historicum. Secus si res habeat, Hübnero epitaphium hoc brevissimum quadrabit perbene:

Hübnerus hic jacet,  
 Quem dicunt Historicum,  
 Multa is scripsit,  
 Quæ ipse non credidit,  
 Quæ putas fide dignum?  
 Liberos & libros  
 Posteris reliquit:  
 Ipse ad plures abiit;  
 An ad Historicos,  
 An ad Fabulatores,  
 Viator ita & discute.

Hæc si minùs arrideant, fingamus obsecro, uti aliàs, non more Hübneri fingere libuit & licuit, Authorem Catholicum attentâsse scribere Lutheranæ Ecclesiæ Historiam eadem prorsus methodo, qua Hübnerus scripsit Seriem Archiepiscoporum, Episcoporum & Virorum multorum in Romana Ecclesia clarissimorum; an non continuò Lutheri affectu scriberent, clamarent, & vociferarentur: *en! ipsimet Papistæ fatentur non obscure, Lutherum non perperam docuisse, non vano aut vanatico spiritu impulsam reformasse Ecclesiam, damnasse superstitiones, & supervacaneos Romani Pontificis rigores, abusus &c.* Si ita Themistocles, cur non & Epaminondas? Si ita novissimi, cur non & antiquissimi? Si ita Germanico-Lutherani, cur non ita Romano-Germanici? Intelligitis rem amici Hübneriani; quotiescunque nimirum in Authore Catholico, præsertim Societatis nostræ deprehendere fuit sententiam, aut periodum verborum vobis in speciem etiam faventem, ambabus manibus vestrorum Scriptorum, Lectorum, & Oratorum plurimi continuò arripuerunt tanquam oracula, aut documenta saltem vobis jucundissima. Testes sunt à C. Bellarmino & aliis Authoribus relictorum librorum Lectores amici & inimici; horum namq; ultimi objectiones, uti appellamus, à Purpurato Doctore positas, crebrò in partem suam accepere, omiâ penitus objectionum solutione

tione, & argumentis à capite sententiarum positis. Ita ferè non rarò sustinuit facere Hübnerus, quem secutus est unà cum aliis Erdmannus Uhsen, quemadmodum nos docuit ejusdem Series de Romanis Imperatoribus fidei calamo minimè conscripta. Superi boni ! qualis fides multorum nomine non re Historico- rum ! Si non volentibus, aut invitis error irreperet, uti errare humanum est, venia responderet facilè errori. At verò studiosè, non dicam malitiosè scribere, fallere, nullum concedit inter peritos veniæ locum. Absit igitur à nobis remotissimè hæc narrandi, hæc pugnandi, hæc fallendi aut decipiendi methodus. Abstergatur fucus, natus color in ore & vultu, in verbis & factis placeat æternùm. Scapham scapham dicat Historicus: synceritas & veritas vincant, triumphant, flo- reant inter vepres & senticeta. Erudiatur, instruatur, & si opus sit in viam veritatis ducatur, aut reducatur

Lector Tros & Rutilus, Orthodoxus  
& Heterodoxus.



IN.